John Adams Library,

IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.

SHELF No.
Adams
134.18

John Adams

NARRATIONES

EXCERPTÆ EX LATINIS SCRIPTORIBUS SERVATO TEMPORUM ORDINE DISPOSITÆ;

OR,

SELECT NARRATIONS,

TAKEN FROM THE BEST LATIN AUTHORS,

JUSTIN, QUINTUS CURTIUS, CÆSAR, CICERO, TITUS LIVIUS, SALLUST, SUETONIUS, AND TACITUS;

WITH CONCISE RELATIONS IN ENGLISH, WHICH CONNECT THE EVENTS;

The whole illustrated with explanatory Notes on ancient and modern Geography: Adopted by the Commission of Public Instruction, for the use of the Lyceums, and the secondary schools.

BY J. B. DUMOUCHEL,
Late Professor and Rector of the University of Paris, and
F. GOFFAUX,
Professor of ancient Languages in the Lyceum of Paris.

First American from the third Paris Edition.

PHILADELPHIA:
Published and sold by DELAPLAINE & HELLINGS, North Second-street, and JOHN F. WATSON, No. 98, South Second-street.
T. T. Stiles, printer.
1810.

2313

opinion, superior to any other elementary books with which I have an acquaintance. Wishing them a speedy introduction into the various schools in this extensive country,

I am,

Gentlemen, yours, &c. &c.

SAMUEL B. WYLIE.

University of Pennsylvania, June 8, 1810.

Gentlemen,

Having examined the Selections of M. L'Homond, &c. which you propose to publish, I have no hesitation in recommending them as the best elementary books I have ever met with.

The pure Latinity of the selections from Sacred History, the interesting Historical and Biographical Sketches of the others, so excellently calculated to excite and inform the youthful mind, together with the neatness and accuracy of your editions, will, I hope, give them a speedy and general introduction into our schools.

Wishing you that success which your undertaking merits, I am,

Gentlemen, yours, &c.

J. G. THOMSON.

Germantown, Mount-Airy College,
April 30, 1810.

Gentlemen,

Having been presented with three books, viz. "*Epitome Historiæ Sacræ*," "*De Viris illustribus urbis Romæ*," and "*Narrationes Excerptæ*, in order to obtain my opinion of their publication in this country, I can declare, for myself, that it is a very desirable object. The latter I am well acquainted with in the practice of teaching. The two first I approve, and think these works are better calculated than any elementary books now in use: however, the well known character of the author, M. L'Homond, is a sufficient recommendation.

F. B. BROSIUS.

Philadelphia, Friends' Academy,
April 27, 1810.

Having perused with attention three books, viz. "*Epitome Historiæ Sacræ*," "*De Viris illustribus urbis Romæ*," and "*Narrationes Excerptæ*," of which my opinion was requested, I do not hesitate to believe them to be good elementary works, and, (from the judicious selection of matter, the brevity of the sentences, and size of the volumes,) better calculated to interest the young student and engage

his attention, than any of the Selectæ, now, generally used in our Schools. And I hope the laudable undertaking of the publishers may meet the encouragement to which it is entitled.

WILLIAM THOMPSON.

Lower Dublin Academy, April 28, 1810.

Gentlemen,

Having examined the "*Epitome Historiæ Sacræ*," "*De Viris illustribus urbis Romæ*," and "*Narrationes Excerptæ*," I have no hesitation in declaring them to be good elementary books, containing the substance of voluminous works, and better adapted for beginners, than selections now made use of in our Schools.

FRANCIS GLASS,
Teacher of the Latin and Greek Languages, and the Mathematicks.

Clermont College, April 28, 1810.

Gentlemen,

Having taught, during fifteen months, the "*Narrationes Excerptæ*," having also attentively examined the "*Historiæ Sacræ*," and "*De Viris illustribus urbis Romæ*," I have no

hesitation to recommend them as excellent School books, and much better calculated to facilitate the acquisition of the Latin language, than selections now in use.

FRANCIS GLASS, Junr.
Teacher of the Greek and Latin Languages.

Philadelphia County,
Germantown Road, April 24, 1810.

"*Narrationes Excerptæ*," and "*De Viris illustribus urbis Romæ*," are books which I have put into the hands of boys commencing the study of the Latin language, and from experience can vouch for their utility as elementary books: "*Epitome Historiæ Sacræ*," I think ought to precede them.

THOMAS CLARK.

[The Publishers beg leave to note, that in addition to the preceding approbation of distinguished Critics, the works have also the commendation of all the several Baltimore Seminaries, to which they have been shown. Indeed, there are none who have examined them, who have not determined to adopt them into their Seminaries, as books amply super-

seding, (if we include a small Poetic Selection, i. e. counterpart to "*Narrationes Excerptæ*," intended to be published) all the usual elementary works, preparatory to the study of Cæsar and the fellow Prose Authors. Besides their intrinsic excellence, their moderation of cost (being but about *three dollars* for the four) strongly recommend them to the œconomy of teachers, and to the favour of the public.]

NARRATIONES

EXCERPTÆ EX LATINIS SCRIPTORIBUS, SERVATO TEMPORUM ORDINE DISPOSITÆ.

NARRATION I.

The death of Sardanapalus, A. C. 758.

(Anc. Hist. Justin, book 1.)

THE Assyrian empire[1] is the most ancient of which Latin historians make mention; common tradition says, it was founded by Ninus, the son of Belus, about 1200 years before Christ.

To Ninus succeeded Semiramis his wife. Both of whom made great conquests. Ninus had enlarged Nineveh.[2] Semiramis built or embellished Babylon.[3] Ninias, their son possessed none of the il-

---

[1] At present called Arzerum and Curdistan, to the east of the Tigris, a part in Turkey in Asia, and a part in Persia.

[2] Nineveh, upon the eastern bank of the Tigris, is two leagues from the Mosul, a city of Dearbeck, which it is thought was built from the ruins of Nineveh.

[3] Babylon was situated upon the Euphrates, a little above its junction with the Tigris. It is thought some vestiges of it still remain to the south, and at some distance from the city of Bagdad.

lustrious qualities of either of them. From the date of this prince's reign a long succession of kings began, who occupied the throne of Assyria for thirty generations. The last was Sardanapalus the most famous of all, for his effeminacy and tragical death.

Postremus apud eos regnavit Sardanapalus, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini ante eum permissum fuerat) Præfectus ipsius [1]Medis præpositus, nomine Arbactus, cùm admitti magnâ ambitione ægrè obtinuisset, invenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, et muliebri habitu, cùm mollitiâ corporis, et oculorum lasciviâ omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis, indignatus tali feminæ tantùm virorum subjectum, tractantique lanam, ferrum et arma portantes parere; progressus ad socios, quid viderit refert: Negat se ei parere posse, qui se feminam malit esse, quàm virum. Fit igitur conjuratio: bellum Sardanapalo infertur. Quo ille audito, non ut vir regnum defensurus, sed ut metu mortis

[1] Media was to the north east of Assyria; it is now comprised within the kingdom of Persia, and forms the Provinces of Shirvan, Guilan, Adersitzan and the western part of Yerack. Atzam Ecbatan, founded by Dejoces, was its capital—Herodotus represents it as encompassed with seven walls rising like amphitheatres above one another. Its modern name is Hamadon.

mulieres solent, primò latebras circumspicit: mox deinde cum pauciş et incompositis, in bellum progreditur. Victus, in regiam se recipit: et extructâ incensâque pyrâ, et se et divitias suas in incendium mittit: hoc solo imitatus virum. Post hunc rex constituitur interfector ejus Arbactus, qui præfectus Medorum fuerat. Is imperium ab Assyriis ad Medos transfert.

NARRATION II.

The death of Cyrus, A. C. 529.

(Anc. Hist. Justin, book 1.)

After the death of Sardanapalus, the Assyrian empire was divided into three great states: to wit: the kingdom of the Medes, which Arbaces at first conquered; that of the Assyrians at Babylon; and that of the Assyrians at Nineveh. No mention is made of any prince whose name is worthy of being recited, during the time that these kingdoms subsisted, which was about two hundred years.

At last Cyrus appeared: his victories and virtues gave him the title of great. He added other important conquests to the three monarchies which he united, and from which he formed the Persian empire. He conquered Crœsus, king of Lydia, and though he took his kingdom away, he treated him with generosity. He permitted the Jews, who were

in a state of captivity at Babylon for seventy years, to return to Jerusalem and rebuild their temple.

With regret we see this great prince, terminating, almost ignominiously, his career, if the recital of Justin is to be credited. The most generally received opinion is, that he died peaceably, after a glorious reign of thirty years.

However that may be, Justin relates the death of this hero in the manner following, viz.

Cyrus, subactâ Asiâ, et universo Oriente in potestatem redacto, [1]Scythis bellum infert.—Erat eo tempore Scytharum regina Tamyris, quæ non muliebriter adventu hostium territa, cùm prohibere eos transitu [2]Araxis fluminis posset, transire permisit, et sibi faciliorem pugnam intrà regni sui terminos rata, et hostibus objectu fluminis fugam difficiliorem. Itaque Cyrus, trajectis copiis, cùm aliquantisper in Scythiam processisset, castrametatus est. Dein posterâ die, simulato metu, quasi refugiens castra deseruisset, ita vini affatim, et ea

---

[1] Scythis bellum infert. Scythia was one of the largest regions of Asia. The ancients comprehended under this name all that is to the east and north of the Caspian Sea. These peoples were called Scythians, whether they were beyond or on this side of mount Imaus. At present they are called Tartars, Calmucs and others.

[2] *Araxis.* The Araxes, a river of Armenia, has its source in Turcomania, and its mouth in the Caspian Sea. Its modern name is *Achalar.*

quæ epulis erant necessaria, reliquit. Quod cùm nuntiatum reginæ esset, adolescentulum filium, ad insequendum eum cum tertiâ parte copiarum mittit. Cùm ventum ad Cyri castra esset, ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas, non ad prælium venisset, omissis hostibus, insuetos barbaros vino se onerare patitur: priusque Scythæ ebrietate, quàm bello vincuntur. Nam cognitis his, Cyrus reversus per noctem, saucios opprimit, omnesque Scythas cum reginæ filio interficit. Amisso tanto exercitu, et, quod graviùs dolendum, unico filio, Tamyris orbitatis dolorem non in lacrimas effudit, sed in ultionis solatia intendit: hostesque recenti victoriâ exultantes, pari insidiarum fraude circumvenit. Quippe simulatâ diffidentiâ propter vulnus acceptum refugiens, Cyrum ad angustias usque perduxit. Ibi compositis in montibus insidiis, ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidavit. In quâ victoriâ etiam illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantæ cladis superfuit. Caput Cyri amputatum in utrem humano sanguine repletum conjici regina jubet, cum hâc exprobratione crudelitatis: *Satia te*, inquit, *sanguine quem sitisti, cujusque insatiabilis semper fuisti.* Cyrus regnavit annos xxx, non initio tantùm regni, sed continuo totius temporis successu, admirabiliter insignis.

NARRATION III.

The consecration of Zopyrus.

(Anc. Hist. book 1.)

To Cyrus succeeded Cambyses his son, a violent and cruel prince, who caused Smerdis his brother to be killed upon vain suspicions. He died after a reign of seven years and five months, in consequence of having wounded himself by letting his sword fall. The reign of this prince is celebrated for his conquests over Egypt,[1] A. C. 525.

After the death of Cambyses, one of the Magi, invaded the throne, by making himself pass for Smerdis to whom he had a great resemblance. But the imposture was soon discovered. Seven of the principal Persian lords conspired against him, killed him, and proclaimed Darius, the son of Hystaspes, one among themselves, king. Darius had no subjects more zealous that his own competitors. A very striking proof of it is what Zopyrus did to restore Babylon[2] again into his power.

---

[1] Egypt, a celebrated and considerable country of Africa, bounded on the south by Nubia, on the north by the Mediterranean, on the east by the Red Sea and the Isthmus of Suez, on the west by Barbary. This country was governed by its own kings from Menes, 2160 years before Christ, down to Psammenitus son of Amasis, over whom Darius made a conquest, A. D. 525.

[2] *Babylon.* See p. 9.

Cum Assyrii descivissent, et Babyloniam occupassent, difficilisque urbis expugnatio esset, æstuante rege, unus de interfectoribus Magorum Zopyrus domi se verberibus lacerari toto corpore jubet: nasum, aures, et labia sibi præcidi, atque ità regi inopinanti se offert. Attonitum, et quærentem Darium causas, autoremque tam fœdæ lacerationis, tacitus, quo proposito fecerit, edocet; formatoque in futura consilio, transfugæ titulo Babyloniam proficiscitur. Ibi ostendit populo laniatum corpus: queritur crudelitatem regis, à quo in regni petitione, non virtute, sed auspicio, non judicio hominum, sed hinnitu equi superatus. Jubet illos ex amicis exemplum capere, quid hostibus cavendum sit: Hortatur, non mœnibus magis, quàm armis confidant, patianturque se commune bellum recentiore irâ gerere. Nota nobilitas viri pariter et virtus omnibus erat: nec de fide timebant, cujus veluti pignora, vulnera corporis et injuriæ notas habebant. Constituitur ergo dux omnium suffragio, et acceptâ parvâ manu, semel atque iterum cedentibus consultò Persis, secunda prælia facit: At postremò universum sibi creditum exercitum Dario prodit, urbemque ipsam in potestatem ejus redigit.

NARRATION IV.

Manners of the Scythians.

(Anc. Hist. book 2.)

Darius, after having made himself master of Egypt, attacked the Scythians, who had long rendered themselves formidable to the kings of Assyria and Persia. Semiramis and Cyrus attempted but in vain to subdue them. The attempts of Darius were not more successful. We shall be less surprised at the defeats that these powerful kings suffered, when we consider with what kind of people they encountered.

[1]Scythia in Orientem porrecta, includitur ab uno latere [2]Ponto, et ab altero montibus Riphæis:[3] à tergo Asiâ et Phasi[4] flumine.

---

[1] Scythia in Orientem porrecta. See p. 12.

[2] *Pontus.* So named, because of its situation upon the Pontus Euxinus or Black Sea, makes a part of the country of Roum in Turkey.

[3] The Riphæan Mountains make a part of the immense chain of Ural Mountains, which separate Europe from Asia, and extend from about the 30th, to nearly the 67th degree of north latitude. This was called by the Russians, Simenoi Poias, or the girdle of the world.

[4] *Phasi.* The Phasis, a river of ancient Colchis, at present a part of Mingrelias, runs into the Euxine or Black Sea.

Multùm in longitudinem et latitudinem patet. Hominibus inter se nulli fines, neque enim agrum exercent: nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta et pecora semper pascentibus, et per incultas solitudines errare solitis. Uxores, liberosque secum in plaustris vehunt: quibus, coriis imbrium hyemisque causâ, tectis, pro domibus utuntur. Justitia Gentis ingeniis culta, non legibus; nullum scelus apud eos furto gravius: quippe sine tecti munimento pecora et armenta habentibus, quid salvum esset, si furari liceret? Aurum et argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt. Lacte et melle vescuntur. Lanæ iis usus ac vestium ignotus, quanquam continuis frigoribus urantur; pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur. Hæc continentia illis morum quoque justitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus. Quippe ibidem divitiarum cupido est, ubi et usus. Atque utinam reliquis mortalibus similis moderatio, et abstinentia alieni foret! profectò non tantùm bellorum per omnia sæcula terris omnibus continueretur: neque plus hominum ferrum et arma, quàm naturalis fatorum conditio raperet; Prorsùs ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Græci longâ sapientium doctrinâ, præceptisque philosophorum consequi nequeunt, cultosque mores incultæ barbariæ collatione superari. Tantò plus in illis proficit vi-

tiorum ignoratio, quàm in his cognitio virtutis.

Imperium Asiæ ter quæsivêre, ipsi perpetuò ab alieno imperio aut intacti, aut invicti mansêre. Darium regem Persarum, turpi ab Scythia summoverunt fugâ: Cyrum cum omni exercitu trucidaverunt; Alexandri Magni ducem Sopyriona pari ratione cum copiis universis deleverunt: Romanorum audivêre, non sensêre arma. Parthicum et Bactrianum imperium ipsi condiderunt. Gens laboribus et bellis aspera: vires corporum immensæ. Nihil parare quod amittere timeant: nihil victores præter gloriam concupiscunt. Primus Scythis bellum indixit Vexoris rex Ægyptius, missis primò lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent. Sed Scythæ jam antè de adventu regis à finitimis certiores facti, legatis respondent: tam opulenti populi ducem stolidè adversùs inopes occupasse bellum, quod magis domi fuerit illi timendum: quòd belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifesta sint. Igitur non expectaturos Scythas, dùm ad se veniatur, cùm tanto sibi plura in hoste concupiscenda sint: ultròque prædæ ituros obviam. Nec dicta res morata: quos cùm tantâ celeritate venire rex addidicisset, in fugam vertitur, exercituque cum omni apparatu belli relicto, in regnum se recepit. Scythas ab Ægypto paludes prohibuêre: inde reversi, Asiam perdomitam vectigalem fecêre, modico tributo ma-

gis in titulum imperii, quàm in victoriæ præmium imposito. Quindecim annis pacandæ Asiæ immorati, uxorum flagitatione revocantur, per legatos denuntiantium, ni redeant, sobolem se ex finitimis quæsituras, nec passuras, ut in posteritatem Scytharum genus per feminas intercidat. His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi tributi finem Ninus rex Assyriorum imposuit.

NARRATION V.

The battle of Marathon,[1] *A. C.* 490.

(Anc. Hist. Corn. Nepos, chap 5.)

Darius had no sooner retired from the shame of his expedition against the Scythians, than he resolved in order to repair it, to turn his arms against the Greeks. Athens had just recovered its liberty. Hippias driven off by his fellow-citizens, of whom he had become the tyrant, determines to send Darius into Attica under the conduct of Datis, with an army of more than 300,000 men. This prince promised himself an easy conquest. The battle of Marathon proved what a small number of men can effect, for the sake of their liberty.

---

[1] Marathon in Attica, at present a part of Livadia, still preserves its name.

Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit præter Platæensium: ea mille misit militum. Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt: quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum est, ut plus, quàm collega, Miltiades valuerit. Ejus enim auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt. locoque idoneo castra fecerunt. Deinde postero die, sub montis radicibus acie è regione instructâ, novâ arte, vi summâ prælium commiserunt. Namque arbores multis locis erant raræ, hoc consilio, ut et montium tegerentur altitudine, et arborum tractu equitatus hostium impediretur ne multitudine clauderentur. Datis, etsi non locum æquum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat: eòque magis, quod priùs, quàm Lacedæmonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, prœliumque commisit. In quo tantò plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarent: adeòque perterruerunt, ut Persæ non castra, sed naves peterent. Quâ pugnâ nihil adhuc est nobilius, nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes prostravit.

Cynegiri quoque militis Atheniensis gloria magnis scriptorum laudibus celebrata est, qui post prœlii innumeras cædes, cùm fugientes hostes ad naves egisset, onustam navem dextrâ

manu tenuit, nec prius dimisit, quàm (manum) amitteret: tùm quoque amputatâ dextrâ, navem sinistrâ comprehendit; quam et ipsam cùm amisisset, ad postremùm morsu navem detinuit. Tantam in eo virtutem fuisse, ut non tot cædibus fatigatus, non duabus manibus amissis victus; truncus ad postremum, et veluti rabida fera dentibus dimicaverit. Ducenta millia Persæ eo prælio, sive naufragio, amisêre. Cecidit et Hippias tyrannus Atheniensis, autor et concitor ejus belli, diis patriæ ultoribus pœnas repetentibus.

NARRATION VI.

The battle of Thermopylæ,[1] *A. C.* 480.

(Anc. Hist. Justin, book 2.)

Darius, provoked at the defeat of his army, prepares to invade Greece with all the forces of Asia, when his projects are stopped by death. Xerxes his son, and heir of his resentment, undertakes to execute them. After five years preparation, he advances at the head of an immense army, and arrives at the straits of Thermopylæ.

---

1 *Thermopylæ.* A defile at the foot of Mount Œta, which separates Thessaly from Phocis. It is now called Bocca di Lupo. Thermopylæ signifies hot places, so named because there were hot springs in that place. This defile is at most 25 feet wide.

Cùm Leonida rex Spartanorum cum quatuor millibus militum angustias Thermopylarum occupasset, Xerxes contemptu paucitatis, eos pugnam capessere jubet, quorum cognati Marathoniâ pugnâ interfecti fuerant; qui dùm ulcisci suos quærunt, principium cladis fuêre: succedente deinde inutili turbâ, major cædes editur. Triduo ibi cum dolore et indignatione Persarum dimicatum: quartâ die, quum nunciatum esset Leonidæ, à xx millibus hostium summum cacumen teneri, tunc hortatur socios, recedant, et se ad meliora patriæ tempora reservent: sibi cum Spartanis fortunam experiendam; plura se patriæ quâm vitæ debere: cæteros ad præsidia Græciæ servandos. Audito regis imperio discessere cæteri, soli Lacedæmonii remanserunt. Initio hujus belli sciscitantibus Delphis oracula responsum fuerat, aut regi Spartanorum, aut urbi cadendum. Et idcirco rex Leonida, cùm in bellum proficisceretur, ita suos firmaverat, ut ire se parato ad moriendum animo scirent. Angustias propterea occupaverat, ut cum paucis aut majore gloriâ vinceret, aut minore damno reipublicæ caderet. Dimissis igitur sociis, hortatur Spartanos; Meminerint, qualitercumque præliantibus cadendum esse; caverent, ne fortiùs mansisse, quàm dimicasse videantur: nec expectandum ut ab hoste circumvenirentur, sed dùm nox occasionem daret, securis et lætis superveniendum: nusquam victores honestiùs,

quàm in castris hostium perituros. Nihil erat difficile persuadere persuasis mori: statim arma capiunt; et sexcenti viri castra quingentorum millium irrumpunt; statimque regis prætorium petunt, aut cum illo, aut si ipsi oppressi essent, in ipsius potissimùm sede morituri. Tumultus totis castris oritur. Spartani, posteaquàm regem non inveniunt, per omnia castra victores vagantur, cædunt, sternuntque omnia: ut qui sciant se pugnare non spe victoriæ, sed in mortis ultionem. Prælium à principio noctis in majorem partem diei tractum. Ad postremum non victi, sed vincendo fatigati, inter ingentes stratorum hostium catervas occiderunt. Xerxes duobus vulneribus terrestri prælio acceptis, experiri maris fortunam statuit.

NARRATION VII.

The flight of Xerxes, A. C. 480.

(Anc. Hist. Justin, book 2.)

Xerxes after having lost 20,000 men at Thermopylæ continues his rout, and penetrates into Attica. Themistocles, seeing that Athens was not in a state

of defence, counsels the inhabitants to leave the city and take refuge in vessels. The first naval combat, near Artemisium, taught the Greeks that they could cope with the enemy, notwithstanding the superiority of their forces. The victory of Salamis, owing in great part to the courage and ability of Themistocles, shewed that an excellent general alone, is almost equal to an army.

Adventante igitur Xerxe, consulentibus Delphis oraculum responsum fuerat; salutem muris ligneis tuerentur. Themistocles navium præsidium demonstratum ratus, persuadet omnibus, patriam municipes esse, non mœnia; civitatemque non in ædificiis, sed in civibus positam; meliùs itaque salutem navibus, quàm urbi commissuros; hujus sententiæ etiam Deum auctorem esse. Probato consilio, conjuges liberosque cum pretiosissimis rebus, abditis insulis, relictâ urbe, demandant: ipsi naves armati conscendunt. Exemplum Atheniensium et aliæ urbes imitatæ. Itaque cùm adunata omnis sociorum classis, et intenta in bellum navale esset, angustiasque Salaminii[1] freti, ne circumveniri à multitudine posset, occupâssent; dissensio inter civitatum principes oritur: qui cùm deserto bello ad sua tuenda dilabi vellent, timens Themistocles, ne discessu

[1] *Salaminii Freti.* The straits of Salamis, at present of Colouri, a small island in the Gulph of Egina, upon the coast of Lavidia, near the island of Egina.

sociorum vires minuerentur, per servum fidum Xerxi nunciat, uno in loco eum contractam Græciam capere facillimè posse; quòd si civitates quæ jam abire vellent, dissipentur, majore labore ei singulas consectandas. Hoc dolo impellit regem signum pugnæ dare. Græci quoque adventu hostium occupati prælium collatis viribus capessunt. Intereà rèx, velut spectator pugnæ, cum parte navium in littore remanet. Artemisia autem regina Halicarnassi[1], quæ in auxilium Xerxi venerat, inter primos duces bellum acerrimè ciebat: quippe ut in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres. Cùm anceps prælium esset, Iones juxta præceptum Themistoclis, pugnæ se paulatìm subtrahere cœperunt, quorum defectio animos cæterorum fregit. Itaque circumspicientes fugam pelluntur Persæ, et mox prælio victi, in fugam vertuntur. In quâ trepidatione multæ captæ naves, multæ mersæ; plures tamen non minùs sævitiam re-

[1] Halicarnassus, a city of Asia Minor, to the south-west of a small peninsula, which extends towards the island of Cos (Stanchio). It was the residence of the kings of Caria, ornamented with a superb tomb, which queen Artemisia caused to be erected for her husband's mausoleum. The historians Herodotus and Denys belonged to this city. It is entirely ruined. Some give the name of Boudroun to its remains.

gis quàm hostem timentes, domum dilabuntur.

Hâc clade perculsum et dubium consilii Xerxem Mardonius aggreditur. Hortatur in regnum abeat, ne quid seditionis moveat fama adversi belli, et in majus, sicuti mos est, omnia extollens: sibi CCC millia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat; quâ manu aut cum gloriâ ejus perdomiturum se Græciam: aut si aliter eventus ferat, sine ejusdem infamiâ hostibus cessurum. Probato consilio, Mardonio exercitus traditur, reliquas copias rex ipse reducere in regnum parat. Sed Græci auditâ Regis fugâ, consilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abydo,[1] veluti victor maris, fecerat; ut intercluso reditu aut cum exercitu deleretur, aut desperatione rerum, pacem victus petere cogeretur. Sed Themistocles timens, ne interclusi hostes desperationem in virtutem verterent, et iter quod aliter non pateret, ferro patefacerent; satis multos hostes in Græciâ remanere dictitans, nec augeri numerum retinendo oportere; cùm vincere

---

1 *Abydo.* Abydos, one of the ancient castles of the Dardanells, on the European side. The other called Sestos was on the Asiatic side. The new castles are situated more southerly. One of them is called the castle of Romania, the other, in Asia Minor, is called the castle of Natolia. They give their name also to the Strait of Gallipolis.

consilio cæteros non posset, eumdem servum ad Xerxem mittit, certioremque consilii facit; et occupare transitum maturatâ fugâ jubet. Ille perculsus nuntio, tradit ducibus milites perducendos, ipse sum paucis Abydon contendit. Ubi cùm solutum pontem hybernis tempestatibus offendisset, piscatoriâ scaphâ trepidus trajecit. Erat res spectaculo digna, et æstimatione sortis humanæ, rerum varietate miranda, in exiguo latentem videre navigio, quem paulò ante vix æquor omne capiebat; carentem etiam omni servorum ministerio, cujus exercitus propter multitudinem terris graves erant. Nec pedestribus copiis, quas ducibus assignaverat, felicius iter fuit: siquidem quotidiano labori (neque enim ulla est metuentibus quies) etiam fames accesserat. Multorum deinde dierum inopia contraxerat et pestem, tantaque fœditas morientium fuit, ut viæ cadaveribus implerentur, alitesque et bestiæ illecebris sollicitatæ, exercitum sequerentur.

NARRATION VIII.

Lycurgus,[1] *A. C.* 870.

(Anc. Hist. Justin, book 3.)

Sparta[2] whose troops so valiantly defended the passage of Thermopylæ, was one of the most powerful republics of Greece. She had been a prey, sometimes to despotism, sometimes to anarchy. Lycurgus undertakes to reform its government, laws, and manners. As long as the discipline that

---

[1] Lycurgus was the son of Eunomus, king of Lacedemonia. He travelled in his youth into Egypt and Crete, to be instructed in the laws and manners of the different peoples. After the death of his brother Polydactus, king of Lacedemonia, his widow offered the crown to Lycurgus, engaging to render the child abortive, with which she was pregnant, provided he would marry her. But Lycurgus rejected her offers, and was satisfied with being tutor to his nephew Charillas, and remitted the government to him, when he attained the age of maturity. Notwithstanding so just and generous a conduct, he was accused of wishing to usurp the sovereignty. This calumny obliged him to retire into the island of Crete, where he applied himself to the study of the law. At his return to Lacedemonia, he undertook to reform the government.

[2] Sparta, formerly the capital of Laconia in the Peloponnesus. It was situated upon the Eurotas, at a distance from the sea. At present it bears the name of Misitra.

he had established was respected, Sparta preserved its power and its liberty.

Non habentibus Spartanis leges instituit Lycurgus, non inventione earum quàm exemplo clarior ; si quidem nihil lege ullâ in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documenta daret. Populum in obsequia principum, principes ad justitiam imperiorum formavit. Parcimoniam omnibus suasit, existimans laborem militiæ, assiduâ frugalitatis consuetudine faciliorem fore. Emi singula non pecuniâ, sed compensatione mercium jussit. Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam, sustulit.

Administrationèm reipublicæ per ordines divisit: regibus potestatem bellorum, magistratibus judicia per annuas successiones, Senatui custodiam legum, populo sublegendi Senatum, vel creandi quos vellet magistratus, potestatem permisit. Fundos omnium æqualiter inter omnes divisit, ut æquata patrimonia neminem potentiorem altero redderent. Convivari omnes publicè jussit, ne cujus divitiæ vel luxuria in occulto essent Juvenibus non ampliùs unâ veste uti toto anno permisit, nec quemquam cultiùs quàm alterum progredi, nec epulari opulentiùs, ne imitatio in luxuriam verteretur. Pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci præcipit, ut primos annos non in luxuriâ, sed in opere, et laboribus

agerent. Nihil eos somni causâ substernere, et vitam sine pulmento degere, neque priùs in urbem redire, quàm viri facti essent, statuit. Virgines sine dote nubere jussit, ut uxores eligerentur, non pecuniæ ; severiùsque matrimonia sua viri coërcerent, cùm nullis dotis frænis tenerentur. Maximum honorem non divitum et potentium, sed pro gradu ætatis senum esse voluit: Nec sanè usquàm terrarum locum honoratiorem senectus habet. Hæc quoniam primò, solutis anteà moribus, dura videbat esse, auctorem eorum Appollinem Delphicum[1] fingit, et inde se ea ex præcepto numinis detulisse, ut consuescendi tædium metus religionis vincat. Dein, ut æternitatem legibus suis daret, jurejurando obligat civitatem, nihil eos de ejus legibus mutaturos, priusquàm reverteretur: et simulat se ad oraculum Delphicum proficisci, consulturum quid addendum mutandumque legibus videretur. Profi-

---

[1] *Delphicum.* Delphos (in Phocis) at present Castre, a little village built upon the ruins of the ancient Delphi. This city was rendered famous by the oracles which Pythia, the priestess of Apollo, uttered in a temple, consecrated at first to the earth, then to Neptune, and afterwards to Apollo. The temple of Delphi contained great riches. It was pillaged by the Phocians about Philip's time, then by the Gauls 78 years before Jesus Christ.

ciscitur autem Cretam,[1] ibique perpetuum exilium egit: abjicique in mare ossa sua moriens jussit, ne relatis Lacedæmonem, solutos se Spartani religione jurisjurandi in dissolvendis legibus arbitrarentur.

NARRATION IX.

The taking of Athens[2] *by Lysander, A. C.* 405.

(Anc. Hist. Justin, book 5.)

Sparta and Athens delivered from the fear of the Persians soon turn their arms against each other. Common danger had united them; the love

---

1 *Cretam.* The island of Crete, at present Candia, is the most considerable island of the Archipelago in the Mediterranean. Mount Ida, upon which, according to the poets, Jupiter was educated, is on this island. In Crete, also Minos reigned, and Dedalus constructed his famous Labyrinth.

2 Athens, now Astines or Setines, the capital of Lavidia, a province of European Turkey.

This city was the capital of Attica, and the most illustrious city of Greece, both on account of the glory of the people who inhabited it, and the beauty of the great number of monuments with which it was ornamented. Forty furlong from the sea (500

of dominion produced between these two cities a rivalship, more fatal to them than all the forces of Asia united against them.

The Athenians at first abused their victory. The Peloponessian war was the cause of general discontent at Greece. Ambition created it, hatred rendered it atrocious, and victory long remained uncertain; but after twenty years war and ambuscade, Athens sunk under the efforts of the Spartans, and submitted to all the conditions that Lysander, the Lacedemonian general, imposed upon them.

Dux Lacedæmoniorum rebus feliciter gestis, fortunæ hostium insultat; captivas naves cum prædâ bellicâ in triumphi modum ornatas, mittit Lacedæmona: ac tributarias Atheniensium civitates, quas metus dubiæ belli fortunæ in fide tenuerat, voluntarias recepit: nec aliud ditionis Atheniensium præter urbem ipsam reliquit. Quæ cuncta cùm Athenis nuntiata essent, omnes relictis domibus, per urbem discurrere pavidi: alius alium sciscitari: auctorem nuncii requirere: non pueros imprudentia, non senes debilitas, non mulieres sexûs imbecillitas domi tenet: adeò ad omnem ætatem tanti mali sensus penetraverat. In foro deinde coeunt: atque ibi perpeti nocte fortunam publicam questibus iterant. Alii fratres,

---

paces) it communicated with the port of Pyræus, by a long space enclosed with walls. The ports of Munichia, and Phalarus also belonged to it.

aut filios, aut parentes deflent, cognatos alii, alii amicos cognatis cariores, et cum privatis casibus querelam publicam miscent: jam seipsos, jam ipsam patriam perituram, miserioremque incolumium, quàm amissorum fortunam judicantes: sibi quisque antè oculos obsidionem, famem, et superbum victoremque hostem proponentes: jam ruinam urbis et incendia, jam omnium captivitatem et miserrimam servitutem recordantes: feliciores prorsùs priores urbis ruinas ducentes, quæ incolumibus filiis parentibusque, tectorum tantùm ruinâ taxatæ sint. Nunc autem non classem, in quam, sicuti pridem, confugiant, superesse; non exercitum, cujus virtute servati pulchriora possent mœnia extruere.

Sic defletæ ac propè perditæ urbi hostes superveniunt, et obsidione circumdatâ obsessos fame urgent. Sciebant enim neque ex advectis copiis multum superesse, et ne novæ advehi possent providerant: quibus malis Athenienses fracti, post longam famem, et assidua suorum funera pacem petivere: quæ an dari deberet, diù inter Spartanos, sociosque deliberatum. Cùm multi delendum Atheniensium nomen, urbemque incendio consumendam censerent; negârunt se Spartani ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos: pacem polliciti, si demissa Piræeum versùs muri brachia dejicerent, navesque quæ reliquæ forent, traderent; resque publica ex semetipsis xxx rec-

tores acciperet. In has leges traditam sibi urbem, Lacedæmonii formandam Lysandro tradiderunt. Mutato statu Athenarum, etiam civium conditio mutatur. Triginta rectores reipublicæ constituuntur, qui fiunt tyranni: quippe à principio tria millia sibi satellitum statuunt; quantùm ex tot cladibus propè nec civium superfuerat: et quasi parvus hic ad continendam civitatem exercitus esset, septingentos milites à victoribus accipiunt. Cædes deinde civium ab Alcibiade auspicantur, ne iterùm rempublicam sub obtentu liberationis invaderet. Quem cùm profectum ad Artaxerxem Persarum regem comperissent, citato itinere miserunt, qui eum interciperent: à quibus occupatus, cùm occidi apertè non posset, vivus in cubiculo in quo dormiebat, crematus est.

NARRATION X.

Pelopidas delivers his country.

(Anc. Hist. Corn. Nepos, chap. 3 and 4.)

Athens under the thirty tyrants which had established Lysander, suffers all that slavery can inflict, but she is not backward to find an avenger.—Thrasybulus, at the head of the fugitives, attacks the tyrants; drives them off; and re-establishes the ancient government.

Sparta degenerates from day to day from its ancient virtues. Governed by gold and ambition, she would have exercised an absolute power over all Greece. To accomplish her end she fears not to employ the most odious means. Having in profound peace surprised the citadel of Thebes[1] the Spartans banish from the city all its principal citizens, and establish there the most arbitrary government. Twelve young men headed by Pelopidas undertake to give liberty to their country, and execute their purpose with equal success and intrepidity.

Duodecim adolescentes, quorum erat dux Pelopidas, cùm Athenis interdiù exiissent, ut vesperascente cœlo Thebas possent pervenire, cum canibus venaticis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. Qui cùm tempore ipso, quo studuerant, pervenissent, domum Charonis deveneruut, à quo et tempus et dies erat datus.

Hoc loco libet interponere, et si sejunctum à re propositâ est, nimia fiducia quantæ calamitati soleat esse. Nam magistratuum Thebanorum statim ad ures pervenit, exules in urbem devenisse. Id illi vino, epulisque dediti, usque eò despexerunt, ut ne quærere quidem de tantâ re laborârint. Accessit etiam, quod magis aperiret eorum dementiam. Allata est

[1] *Thebes,* was the capital of Bœotia. It still exists, though almost in ruins. The name is *Thive* or *Stives,* in Livadia.—It is upon the river Ismenus.

enim epistola Athenis ab Archia Hierophante, Archiæ qui tum maximum magistratum Thebis obtinebat, in quâ omnia de profectione exulum prescripta erant. Quæ cùm jam accubanti in convivio esset data: sicut erat signata, in pulvinum subjiciens, in crastinum, inquit differo res severas. At illi omnes, cùm jam nox processisset, vinolenti, ab exulibus, duce Pelopidâ, sunt interfecti. Quibus rebus confectis, vulgo ad arma libertatemque vocato, non solùm qui in urbe erant, sed etiam undique ex agris concurrerunt; præsidium Lacedæmoniorum ex arce pepulerunt; patriam obsidione liberaverunt; auctores Cadmeæ occupandæ partìm occiderunt, partim in exilium ejecerunt.

NARRATION XI.

The death of Epaminondas, A. C. 363.

(Anc. Hist. Justin, book 6.)

Delivered from the tyranny of Sparta, the Thebans desire revenge. Thebes[1] until this time had never excited consideration among the cities of Greece. Epaminondas, seconded by Pelopidas, en-

[1] Thebes. See page 35.

deavours to draw her from her obscurity. The famous battle of Leuctra, which he gained against the Spartans, gives a destructive blow to the power of the Lacedemonians; and the Thebans, before despised, became the Arbiters of Greece.

But their superiority depends upon a single man, and they soon lose it in losing Epaminondas at the battle of Mantinea[2].

Lacedemoniis alia bella adversùs finitimos gerentibus, Thebani, Epaminondâ duce, occupandæ urbis eorum spem ceperunt. Igitur principio noctis, taciti Lacedæmona proficiscuntur: non tamen aggredi incautos potuerunt. Quippe senes et cætera imbellis ætas, cùm adventum hostium præsensissent, in ipsis portarum angustiis armati occurrunt; et adversùs quindecim millia militum, non ampliùs centum jam effœtæ ætatis viri, pugnæ se offerunt: Tantùm animorum viriumque patriæ et penatium conspectus subministrat, tantòque præsentiâ, quàm recordatione sui, majores spiritus largiuntur. Nam, ut vidêre, inter quæ, et pro quibus starent; aut vincendum sibi, aut moriendum censuerunt. Pauci igitur sustinuêre senes aciem, cui par antè diem universa juventus esse non potuit. In eo prœlio

---

1 Leuctra, in Bœotia, no longer exists.

2 Mantinea, a city of Arcadia, at this time Trapolizza in the Morea.

duo duces hostium cecidêre. Cùm interim, Agesilai adventu nunciato, Thebani recessêre: nec bellum diù dilatum : siquidem Spartanorum juventus, senum virtute et gloriâ incensa, teneri non potuit, quin ex continenti, acie decerneret. Cùm victoria Thebanorum esset, Epaminondas, dum non ducis tantùm, verùm etiam fortissimi militis officio fungitur, graviter vulneratur. Quo audito, his ex dolore metus, et illis ex gaudio stupor injicitur ; atque ita veluti ex placito consensu à prælio disceditur.

Post paucos deinde dies Epaminondas decedit, cum quo vires quoque reipublicæ ceciderunt. Nam sicuti telo si primam aciem præfregeris, reliquo ferre vim nocendi sustuleris : sic illo, velut mucrone teli, ablato duce Thebanorum, rei quoque publicæ vires hebetatæ sunt : ut non tàm illum amisisse, quàm cum illo interiisse omnes viderentur. Nam neque hunc ante ducem ullum memorabile bellum gessêre ; nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuêre : ut manifestum sit, patriæ gloriam et natam, et extinctam cum eo fuisse. Fuit autem incertum, vir melior, an dux esset. Nam et imperium non sibi semper, sed patriæ quæsivit : et pecuniæ adeò parcus fuit, ut sumptus funeri defuerit. Gloriæ quoque non cupidior, quàm pecuniæ : quippe recusanti, omnia imperia ingesta sunt : honoresque ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed

dare ipsi dignitati videretur. Jam litterarum studium, jam philosophiæ doctrina tanta, ut mirabile videretur, undè tam insignis militiæ scientia homini inter litteras nato. Neque ab hoc vitæ proposito mortis ratio dissensit. Nam ut relatus in castra semianimis, vocem spiritumque collegit, id unum à circumstantibus requisivit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis. Quod ut servatum audivit, allatumque, velut laborum gloriæque socium osculatus est. Iterùm quæsivit utri vicissent. Ut audivit, Thebanos, Benè habere se rem dixit: atque ita, velut gratulabundus patriæ exspiravit.

NARRATION XII.

Philip and Alexander, A. C. 358.

(Anc. Hist. Justin, book 9.)

Greece distracted by internal broils, presents an easy conquest to the first ambitious chief that will offer.—The opportunity is seized by Philip, King of Macedon,[1] who makes it a powerful King-

[1] Macedonia, a western province of Greece, makes now a part of the vast country of Romelia, a province of Turkey, in Europe. Its principal rivers were the Strimon, the Axius, and the Aliacmon, and its principal cities, Edessa, Pella, and Thessalonica.

dom Philip owes his pre-eminence there, as much to his policy, as to his courage and military talents.

The Athenians, animated by the eloquence of Demosthenes strive in vain to oppose the torrent which menaces their liberty. The battle of Chœronea makes her share the common hazard. Philip now supreme arbiter of Greece, is preparing to carry the war into Persia, when he is assassinated. It was reserved for Alexander to execute the vast plan of his father, and to avenge his country of the affronts of the Barbarians.

The following parallel makes us acquainted with the character of those two Princes.

Fuit Philippus armorum quàm conviviorum apparatibus studiosior, cui maximæ opes erant instrumenta bellorum: divitiarum quæstu, quàm custodiâ solertior: itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat. Misericordia in eo et perfidia pari jure dilectæ. Nulla apud eum turpis ratio vincendi. Blandus pariter et insidiosus alloquio, qui plura promitteret, quàm præstaret: in seria et jocos artifex. Amicitias utilitate, non fide colebat. Gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quærere, solemnis illi consuetudo. Inter hæc eloquentia, et insignis oratio, acuminis et solertiæ plena; ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deesset ornatus. Huic Alexander filius successit, et virtute et vitiis patre major. Itaque vincendi ratio utrique diversa. Hic apertè, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille

gaudere hostibus, hic palàm fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere : hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis nec modus erat. Vini nimis uterque avidus : sed ebrietatis diversa vitia. Patri mos erat etiam de convivio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temerè offerre : Alexander non in hostem, sed in suos sæviebat. Quamobrem Philippum sæpe vulneratum prælia remisêre : hic amicorum interfector convivio frequenter excessit. Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Litterarum cultus utrique similis, Solertiæ pater majoris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus et promptior et honestior. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit : operis totius gloriam filius consummavit.

NARRATION XIII.

Alexander falls sick at Tarsus.

(Anc. His. Q. Cur. book 3.)

Alexander at the age of twenty one, passes into Asia with only 30,000 men. Arrived upon the

banks of the Granicus[1] he crosses it in sight of the Persians. He defeats and subjects to his laws, the Lydians,[2] the Ionians, the Carians, Pamphilians, and Cappadocians. In the midst of these conquests, he expects to be delighted with the adoration and love of his soldiers.

Mediam Cydnus amnis Tarson[3] interfluit: et tunc æstas erat, cujus calor non aliam magis quàm Ciliciæ oram vapore solis accendit; et diei fervidissimum tempus cœperat. Pulvere ac sudore simul perfusum regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste depositâ in conspectu agminis, (decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis levi ac parabili cultu corporis se esse contentum), descendit in flumen: vixque ingressi subito horrore artus rigere cœperunt; pallor deinde suffusus est, et totum propemodum corpus vitalis calor reliquit. Expiranti similem ministri manu excipiunt,

---

[1] Granicus, now Unsvola, a little river of Natolia in Asia: Has its source in Mount Ida in Phrygia, and empties into the Sea of Marmora, otherwise, Propontis.

[2] Lydia &c. are now comprised in the country of Natolia, a great peninsula which projects between the Mediterranean and Black Sea, even to the Archipelago and the Sea of Marmora.

[3] *Tarson.* Tarsus, an ancient city of Cilicia, in Asia minor. It still exists in Caramania, upon the river Cydnus or Carasus.

nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo, et penè jam luctus, in castris erat. Flentes querebantur, in tanto impetu cursuque rerum, omnis ætatis ac memoriæ clarissimum regem, non in acie saltem, non ab hoste dejectum, sed abluentem aquâ corpus, ereptum esse et extinctum : instare Darium, victorem antequam vidisset hostem : sibi easdem terras quas victores peragrassent repetendas ; omnia aut ipsos aut hostes populatos ; per vastas solitudines, etiamsi nemo insequi velit, euntes, fame atque inopiâ debellari posse : quem signum daturum fugientibus ? quem ausurum Alexandro succedere? jam ut ad Hellespontum fugâ penetrarent, classem quâ transeant quem præparaturum ? Rursùs in ipsum regem misericordiâ versâ, illum florem juventæ, illam vim animi, eumdem regem et commilitonem, divelli à se et abripi immemores suî querebantur.

Inter hæc liberiùs meare spiritus cœperat ; allevabat rex oculos, et paulatìm redeunte animo circumstantes amicos agnoverat ; laxataque vis morbi ad hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat. Animi autem ægritudo corpus urgebat ; quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nuntiabatur : vinctum ergo se tradi, et tantam victoriam eripi sibi è manibus, obscuràque et ignobili morte in tabernaculo suo exstingui se querebatur. Admissis que amicis pariter et medicis : in

quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire mihi videor, et qui ultro intuli bellum, jam provocor. Darius ergo quum tam superbas litteras scriberet, fortunam meam in consilio habuit; sed nequicquam, si mihi arbitrio meo curari licet. Lenta remedia et segnes medicos non expectant tempora mea; vel mori strenuè, quàm tardè convalescere mihi melius est. Proindè, si quid opis, si quid artis in medicis est, sciant me non tàm mortis quàm belli remedium quœrere. Ingentem omnibus incusserat curam tam præceps temeritas ejus. Ergo pro se quisque precari cœpêre, ne festinatione periculum augeret, sed esset in potestate medentium : inexperta remedia haud injuriâ ipsis esse suspecta, quum ad perniciem ejus etiam à latere ipsius pecuniâ sollicitaret hostis (quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronuntiari jusserat) itaque ne ausurum quidem quemquam arbitrabatur experiri remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum.

Erat inter nobiles medicus é Macedoniâ regem secutus Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi ; puero comes et custos salutis datus, non ut regem modò, sed etiam ut alumnum, eximiâ caritate diligebat. Is non præceps se, sed strenuum remedium afferre, tantamque vim morbi potione medicatâ leva-

turum esse promisit. Nulli promissum ejus placebat, præter ipsum cujus periculo pollicebatur. Omnia quippe facilius quàm moram perpeti poterat. Arma et acies in oculis erant, et victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantùm ante signa stare potuisset; idipsum, quod post diem tertium medicamentum sumpturus esset (ita enim medicus prædixerat) ægrè ferens. Inter hæc à Parmenione, fidissimo purpuratorum, litteras accipit, quibus et denuntiabat ne salutem suam Philippo committeret; mille talentis, à Dario, et spe nuptiarum sororis ejus esse corruptum. Ingentem animo sollicitudinem litteræ incusserant; et quidquid in utramque partem aut metus aut spes subjecerat, secretâ æstimatione pensabat. Bibere perseverem, ut, si venenum datum fuerit, nè immerito quidem, quidquid acciderit, evenisse videatur? Damnem medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satiùs est alieno me mori scelere, quàm metu meo. Diù animo in diversa versato, nulli quid scriptum esset enuntiat; epistolamque, sigillo annuli sui impressam, pulvino cui incumbebat subjecit.

Inter has cogitationes biduo absumpto, illuxit à medico destinatus dies, et ille cum poculo in quo medicamentum diluerat intravit. Quo viso Alexander levato corpore in cubitum, epistolam à Parmenione missam sinistrâ manu tenens, accipit poculum et haurit inter-

ritus : tum epistolam Philippum legere jubet, nec à vultu legentis movit oculos, ratus aliquas conscientiæ notas in ipso ore posse deprehendere. Ille, epistolâ perlectâ, plus indignationis quàm pavoris ostendit, projectisque amiculo et litteris ante lectum : Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc verè, arbitror, sacro et venerabili ore trahitur. Crimen parricidii, quod mihi objectum est, tua salus diluet : servatus à me vitam mihi dederis ; oro quæsoque : amissoque metu patere medicamentum concipi venis ; laxa paulisper animum, quem intempestivâ sollicitudine amici, sanè fideles, sed molestè seduli, turbant. Non securum modò hæc vox, sed etiam lætum regem ac plenum bonæ spei fecit. Itaque, si dii, inquit, Philippe, tibi permisissent quo maximè modo animum velles experiri meum, alio profectò voluisses, sed certiorem quàm expertus es ne optasses quidem. Hâc epistolâ acceptâ, tamen quod dilueras bibi ; et nunc credo te non minùs pro tuâ fide, quàm pro meâ salute esse sollicitum. Hæc elocutus, dextram Philippo offert.

Ceterùm tanta vis medicaminis fuit, ut quæ secuta sunt criminationem Parmenionis adjuverint. Interclusus spiritus arctè meabat, nec Philippus quidquam inexpertum omisit : ille fomenta corpori admovit ; ille torpentem nunc cibi nunc vini odore excitavit ; atque ut pri-

num mentis compotem esse sensit, modò matris sororumque, modo tantæ victoriæ appropinquantis admonere non destitit. Ut verò medicamentum se diffudit in venas, et sensim toto corpore salubritas percipi potuit, primò animus vigorem suum, deindè corpus quoque expectatione maturiùs recuperavit; quippe post tertium diem quàm in hoc statu fuerat, in conspectum militum venit. Nec avidiùs ipsum regem quàm Philippum intuebatur exercitus; pro se quisque, dextram ejus amplexi, grates habebant velut præsenti deo: namque haud facilè dictu est, præter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantùm hujus quoque regis vel admirationi dediti fuerint, vel caritate flagraverint. Jam primùm nihil nisi divinâ ope aggredi videbatur; nam, quum esset præstò ubique fortuna, temeritas in gloriam cesserat. Ætas quoque, vix tantis matura rebus, sed abundè sufficiens, omnia etiam ejus opera honestabat: et quæ leviora haberi solent, plerumque in re militari gratiora vulgò sunt; exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusque paululùm à privato abhorrens, militaris vigor; quis ille vel ingenii dotibus vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus esset, effecerat.

NARRATION XIV.

The magnificent march of Darius.

(Anc. Hist. 2. Cuv. book 3.)

† Patrio more Persarum traditum est, orto sole demùm procedere : die jam illustri, signum è tabernaculo regis buccinâ dabatur ; super tabernaculum, undè ab omnibus conspici posset, imago solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo autem agminis erat talis : ignis, quem ipsi *sacrum* et *æternum* vocabant, argenteis altaribus præferebatur : magi proximi patrium carmen canebant : magos trecenti et sexaginta quinque juvenes sequebantur, puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero ; quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus. Currum deindè Jovi sacratum albentes vehebant equi : hos eximiæ magnitudinis equus, quem Solis appellabant, sequebatur : aureæ virgæ, et albæ vestes, regentes equos adornabant. Haud procul erant vehicula decem ; multo auro argentoque cælata. Sequebatur hæc equitatus duodecim gentium, variis armis et moribus : proximi ibant, quos Persæ *Immortales* vocant, ad decem millia ; cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honestabat : illi aureos torques,

illi vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas.— Exiguo intervallo, quos *Cognatos regis* appellant, decem et quinque millia hominum ; hæc vero turba muliebriter propemodùm culta, luxu magis quàm decoris armis conspicua erat.— *Doryphori* vocabantur proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem ; hi currum regis anteibant, quo ipse eminens vehebatur. Utrumque currûs latus deorum simulacra ex auro argentoque expressa decorabant : distinguebant internitentes gemmæ jugum, ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem ; inter hæc auream aquilam pinnas extendenti similem sacraverant.

Cultus regis inter omnia luxuriâ notabatur: purpureæ tunicæ medium album intextum erat ; pallam auro distinctam, aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant ; et zonâ aureâ muliebriter cinctus acinacem suspenderat, cui ex gemmâ erat vagina. *Cidarim* Persæ regium capitis vocabant insigne, hoc cærulea fascia albo distincta circumibat. Currum decem millia hastatorum sequebantur ; hastas argento exornatas, spicula auro præfixa gestabant. Dextrâ lævâque regem ducenti fermè nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi regis quadringenti sequebantur. Intervallo deindè unius

stadii, matrem Darii Sysigambim currus vehebat, et in alio erat conjux: turba feminarum reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim indè, quas *Armamaxas* appellant sequebantur ; in his erant liberi regis, et qui educabant eos, spadonumque grex, haud sane illis gentibus vilis. Tum regiæ pellices trecentæ sexaginta vehebantur, et ipsæ regali cultu ornatuque ; post quas pecuniam regis sexcenti muli et trecenti cameli vehebant, præsidio sagittariorum prosequente. Propinquorum amicorumque conjuges huic agmini proximæ, lixarumque et calonum greges vehebantur. Ultimi erant cum suis quisque ducibus qui cogerent agmen, leviter armati. Contra si quis aciem Macedonum intueretur, dispar acies erat ; equis virisque non auro, non discolori veste, sed ferro atque ære fulgentibus : agmen et stare paratum et sequi, nec turbâ, nec sarcinis prægrave ; intentum ad ducis non signum modò, sed etiam nutum : et castris locus, et exercitui commeatus suppetebant. Ergo Alexandro in acie miles non defuit: Darius tantæ multitudinis rex, loci in quo pugnavit angustiis, redactus est ad paucitatem quam in hoste contempserat.

NARRATION XV.

Battle of Issus,[1] *A. C.* 333.

(Anc. Hist. Q. Cur. book 3.)

DARIUS in place of waiting for the Greeks in the plains of Assyria, where he might have employed all his troops, advances imprudently to the combat, and engages in a defile of Cilicia, where the greatest part of his army cannot be brought into action. Alexander avails himself of this capital fault and completes his victory.

JAM in conspectu, sed extra teli jactum, utraque acies erat; quum priores Persæ inconditum et trucem sustulêre clamorem: redditur et à Macedonibus major, exercitûs impar numero, sed jugis montium vastisque saltibus repercussus: quippe semper circumjecta nemora petræque quantamcumque accepêre vocem, multiplicato sono referunt. Alexander ante prima signa ibat, identidem manu suos inhibens ne suspensi, acriùs ob nimiam festinationem concitato spiritu, capesserent bellum: quumque agmen obequitaret, variâ oratione, ut cujusque animis aptum erat,

---

[1] Issus, a city of Cilicia, in Asia minor, close to the confines of Syria, where was a defile called Syria Pyla, the entrance of Syria. This place is now called Laiazzo, in Caramania in Natolia.

milites alloquebatur. Macedones, tot bellorum in Europâ victores, ad subigendam Asiam atque ultima Orientis, non ipsius magis, quàm suo ductu profecti, inveteratæ virtutis admonebantur. Illos terrarum orbis liberatores, emensosque olim Herculis et Liberi patris terminos, non Persis modò, sed etiam omnibus gentibus imposituros jugum, Macedonum Bactra et Indos fore ; minima esse quæ nunc intuerentur, sed omnia victoriâ parari : non in præruptis petris Illyricorum et Thraciæ saxis sterilem laborem fore ; spolia totius Orientis offerri : vix gladio futurum opus ; totam aciem, suo pavore fluctuantem, umbonibus posse propelli. Victor ad hæc Atheniensium Philippus pater invocabatur ; domitæque nuper Bœotiæ, et urbis in ea nobilissimæ ad solum dirutæ, species repræsentabatur animis : jam Granicum amnem, jam tot urbes aut expugnatas aut in fidem acceptas, omniaque quæ post tergum erant, strata et pedibus ipsorum subjecta memorabat. Quum adierat Græcos ; admonebat, ab iis gentibus illata Græciæ bella, Darii priùs, deinde Xerxis insolentiâ aquam ipsam terramque postulantium, ut neque fontium haustum nec solitos cibos relinquerent : dein deûm templa ruinis et ignibus esse deleta, urbes eorum expugnatas, fœdera humani divinique juris violata referebat, Illyrios verò et Thracas, rapto vivere assuetos, aciem hostium auro pur-

puràque fulgentem intueri jubebat, prædam, non arma gestantem : irent, et imbellibus feminis aurum viri eriperent ; aspera montium suorum juga, nudosque colles et perpetuo rigentes gelu, ditibus Persarum campis agrisque mutarent.

Jam ad teli jactum pervenerant, quum Persarum equites ferociter in lævum cornu hostium invecti sunt ; quippe Darius equestri prælio decernere optabat, phalangem macedonici exercitûs robur essè conjectans : jamque etiam dextrum Alexandri cornu circumibatur. Quod ubi Macedo conspexit, duabus alis equitum ad jugum montis jussis subsistere, ceteros in medium belli discrimen strenuè transfert. Subductis deindè ex acie Thessalis equitibus, præfectum eorum occultè circumire tergum suorum jubet, Parmenionique conjungi, et quod is imperasset impigrè exsequi. Jamque ipsi, in medium Persarum undique circumfusi, egregiè se tuebantur ; sed conserti et quasi cohærentes, tela vibrare non poterant : simul erant emissa, in eosdem concurrentia implicabantur ; levique et vano ictu pauca in hostem, plura in humum innoxia cadebant. Ergo cominùs pugnam coacti conserere, gladios impigrè stringunt. Tùm verò multum sanguinis fusum est : duæ quippe acies ita cohærebant, ut armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent. Non timido, non ignavo cessare tum licuit. Collato

pede quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent ; tum demùm ergo promovebant gradum, quum hostem postraverant, at illos novus excipiebat adversarius fatigatos ; nec vulnerati, ut alias solent, acie poterant excedere, quum hostis instaret à fronte, à tergo sui urgerent.

Alexander non ducis magis quàm militis munera exsequebatur, opimum decus cæso rege expetens ; quippe Darius curru sublimis eminebat, et suis ad se tuendum, et hostibus ad incessendum, ingens incitamentum. Ergo frater ejus Oxathres, quum Alexandrum instare ei cerneret, equites quibus præerat ante ipsum currum regis objecit, armis et robore corporis multùm super ceteros eminens ; animo verò et pietate, in paucissimis, illo utique prælio, clarus, alios improvidè instantes prostravit, alios in fugam avertit. At Macedones, ut circa regem erant, mutuâ adhortatione firmati, cum ipso in equitum agmen irrumpunt. Tum verò similis ruinæ strages erat. Circa currum Darii jacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregiâ morte defuncti, omnes in ora proni sicut dimicantes procubuerant, adverso corpore vulneribus acceptis : inter hos Atyzies, et Rheomithres, et Sabaces prætor Ægypti, magnorum exercituum præfecti noscitabantur ; circa eos cumulata erat peditum equi-

tumque obscurior turba. Macedonum quoque non quidem multi, sed promptissimi tamen, cæsi sunt; inter quos Alexandri dextrum femur leviter mucrone perstrictum est.

Jamque qui Darium vehebant equi, confossi hastis et dolore efferati, jugum quatere, et regem curru excutere cœperant; quum ille, veritus ne vivus veniret in hostium potestatem, desilit, et in equum, qui ad hoc sequebatur, imponitur; insignibus quoque imperii, ne fugam proderent, indecorè abjectis. Tum verò ceteri dissipantur metu, et quâ cuique patebat ad fugam viâ erumpunt, arma jacientes quæ paulò ante ad tutelam corporum sumpserant: adeò pavor etiam auxilia formidat! Instabat fugientibus eques a Parmenione missus, et fortè in id cornu omnes fuga abstulerat. At in dextro Persæ Thessalos equites vehementer urgebant, jamque una ala ipso impetu proculcata erat; quum Thessali, strenuè circumactis equis dilapsi, rursùs in prælium redeunt, sparsosque et incompositos victoriæ fiduciâ barbaros ingenti cæde prosternunt. Equi pariter equitesque Persarum, serie laminarum graves, agmen, quod celeritate maximè constat, ægrè moliebantur; quippe in circumagendis equis suis Thessali multos occupaverant. Hâc tam prosperâ pugnâ nunciatâ, Alexander, non ante ausus persequi barbaros, utrimque jam victor, instare fugientibus cœpit. Haud am-

pliùs regem quàm mille equites sequebantur, quum ingens multitudo hostium caderet: sed quis, aut in victoriâ aut in fugâ, copias numerat ? Agebantur ergo à tam paucis pecorum modo, et idem metus qui cogebat fugere fugientes morabatur.

NARRATION XVI.

The noble conduct of Alexander towards the Princesses his prisoners.

(Anc. Hist. Q. Cur. book 3)

Alexander justis defunctorum corporibus solutis, præmittit ad captivas, qui nunciarent ipsum venire ; inhibitâque comitantium turbâ, tabernaculum cum Hephæstione intrat. Is longè omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso pariter educatus, secretorum omnium arbiter: libertatis quoque in admonendo eo non alius jus habebat ; quod tamen ita usurpabat, ut magis à rege permissum, quàm vindicatum ab eo videretur. Et sicut ætate par erat regi, ita corporis habitu præstabat : ergo reginæ illum regem esse ratæ, suo more veneratæ sunt; inde ex spadonibus captivis quis Alexander esset monstran-

tibus, Sysigambis advoluta est pedibus ejus, ignorationem nunquam antea visi regis excusans. Quam manu allevans rex : Non errasti, inquit, Mater, nam et hic Alexander est.

Equidem, si hâc continentiâ animi ad ultimum vitæ perseverare potuisset, feliciorem fuisse crederem, quàm visus est esse, quum Liberi patris imitaretur triumphum, ab Hellesponto usque ad Oceanum omnes gentes victoriâ emensus ; vicisset profectò superbiam atque iram, mala invicta ; abstinuisset inter epulas cædibus amicorum ; egregiosque bello viros, et tot gentium secum domitores, indictâ causâ veritus esset occidere. Sed nondùm fortuna se animo ejus superfuderat ; itaque orientem eam moderatè et prudenter tulit, ad ultimum magnitudinem ejus non cepit. Tum quidem ita se gessit, ut omnes ante eum reges et continentiâ et clementiâ vincerentur. Virgines enim regias, excellentis formæ, tam sanctè habuit, quàm si eodem quo ipse parente genitæ forent : conjugem ejusdem, quam nulla ætatis suæ pulchritudine corporis vicit, adeò ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam ne quis captivo corpori illuderet : omnem cultum reddi feminis jussit ; nec quicquam ex pristinæ fortunæ magnificentiâ captivis, præter fiduciam, defuit. Itaque Sysigambis : Rex, inquit, mereris, ut ea precemur tibi, quæ Dario nostro quondam precatæ sumus ; et, ut video, dignus es qui tantum regem, non

felicitate solùm, sed etiam æquitate superaveris. Tu quidem Matrem me, et Reginam vocas ; sed ego me tuam famulam esse confiteor. Et præteritæ fortunæ fastigium capio et præsentis jugum pati possum : tuâ interest quantùm in nos licuerit, si id potius clementiâ quàm sævitiâ vis esse testatum. Rex bonum animum habere eas jussit ; Darii deinde filium collo suo admovit. Atque nihil ille conspectu tunc primùm à se visi conterritus, cervicem ejus manibus amplectitur : motus ergo rex constantiâ pueri, Hephæstionem intuens : Quam vellem, inquit, Darius aliquid ex hâc indole hausisset ! Tum tabernaculo egressus. Tribus aris. in ripâ Pinari amnis, Jovi atque Herculi Minervæque sacratis, Syriam[1] petit ; Damascum[2] ubi regis gaza erat, Parmenione præmisso.

---

[1] *Syriam*, a region of Ancient Syria, or Assyria to the west, and bordering upon the sea of Syria, is now called Souria or Sourestan, a province of Asiatic Turkey.

[2] *Damascum*, formerly the capital of Syria, to the east of Sidon, now called Scam-Damaser, and under the dominion of the Turks.

NARRATION XVII.

The siege of Tyre[1] *A. C.* 332.

(Anc. Hist. Q. Cur. book 4.)

After the battle of Issus[2] all yield to Alexander. Tyre alone dares to oppose the rapidity of his conquests. Its siege is one of the most memorable of antiquity.

Jam tota Syria, jam Phœnice quoque, exceptâ Tyro, Macedonum erant; habebatque rex castra in continenti, à quo urbem angustum fretum dirimit. Tyrus, et claritate et magnitudine ante omnes urbes Syriæ Phœnicesque memorabilis, faciliùs societatem Alexandri acceptura videbatur quàm imperium. Coronam igitur auream legati donum afferebant; commeatusque largè et hospitaliter ex oppido adduxerant. Ille dona, ut ab amicis, accipi jussit; benignèque legatos allocutus, Herculi, quem præcipuè Tyrii colerent, sacrificare velle se dixit: Macedonum reges credere ab illo deo ipsos genus ducere; se verò ut id faceret etiam oraculo monitum. Legati respondent, esse templum Herculis extra urbem, in eam sedem

---

[1] Tyre, a city of Phœnicia. It had been built upon the main land, but after it had been taken by Nebuchadnezzar it was rebuilt upon an island to the south of Sidon.

[2] Issus. See page 51.

quam Palætyron ipsi vocant; ibi regem deo sacrum ritè facturum. Non tenuit iram Alexander, cujus alioquin potens non erat. Itaque vos quidem, inquit, fiduciâ loci, quòd insulam incolitis, pedestrem hunc exercitum spernitis: sed brevi ostendam in continenti vos esse: proindè sciatis licet, aut intraturum me urbem, aut oppugnaturum. Cum hoc responso dimissos monere amici cœperunt, ut regem, quem Syria, quem Phœnice recepisset, ipsi quoque urbem intrare paterentur. At illi, loco satis fisi, obsidionem ferre decreverunt.

Urbem Tyrum à continenti quatuor stadiorum fretum dividit, Africo maximè objectum, crebros ex alto fluctus in littus evolvens. Nec, accipiendo operi quo Macedones continenti insulam jungere parabant, quidquam magis quàm ille ventus obstabat. Quippe vix leni et tranquillo mari moles agi possunt; Africus verò prima quæque congesta pulsu illisa mari subruit: nec ulla tam firma moles est, quàm non exedant undæ per nexus operum manantes, et, ubi acrior flatus extitit, summi operis fastigio superfusæ. Præter hanc difficultatem, haud minor alia erat. Muros turresque urbis præaltum mare ambiebat: non tormenta, nisi è navibus procul excussa, emitti; non scalæ mœnibus applicari poterant: præceps in salum murus pedestre interceperat iter: naves nec habebat rex; quas si admovisset, pendentes et instabiles missilibus arceri poterant. Inter

quæ parva dictu res Tyriorum fiduciam accendit. Carthaginiensium legati ad celebrandum anniversarium sacrum more patrio tunc venerant; quippe Carthaginem[1] Tyrii condiderunt, semper parentum loco culti. Hortari ergo Pœni cœperunt, ut obsidionem forti animo paterentur; brevi Carthagine auxilia ventura: namque eâ tempestate magnâ ex parte punicis classibus maria obsidebantur.

Igitur bello decreto, per muros turresque tormenta disponunt; arma junioribus dividunt; opificesque, quorum copiâ urbs abundabat, in officinas distribuunt: omnia belli apparatu strepunt. Ferreæ quoque manus (*Harpagonas* vocant) quas operibus hostium injicerent, corvique, et alia tuendis urbibus excogitata, præparabantur. Sed quum fornacibus ferrum quod excudi oportebat impositum esset, admotisque follibus ignem flatu accenderent, sanguinis rivi sub ipsis flammis extitisse dicuntur; idque omen in Macedonum metum verterunt Tyrii. Apud Macedonas quoque, quum forte panem quidam militum frangeret, manantis sanguinis

---

1 *Carthaginem.* Carthage was built in Africa by Dido, sister of Pygmalion king of Tyre, A. C. 890. It was destroyed by the Romans in 148, and is now no more than a heap of stones, in the middle of which we perceive a tower called Almenare or the *Rocca de Martinaces.* It is three leagues west of Tunis, on the coast of Barbary.

guttas notaverunt: territoque rege, Aristander, peritissimus vatum, respondit, si extrinsecùs cruor fluxisset, Macedonibus id triste futurum; contrà, quum ab interiore parte manaverit, urbi quam obsidere destinassent exitium portendere. Alexander, quum et classem procul haberet, et longam obsidionem magno sibi ad cetera impedimento videret fore; caduceatores, qui ad pacem eos compellerent, misit: quos Tyrii contra jus gentium occisos præcipitaverunt in altum. Atque ille, suorum tam indignâ nece commotus, urbem obsidere statuit.— Sed antè jacienda moles erat, quæ urbem continenti committeret: ingens ergo animos militum desperatio incessit, cernentium profundum mare, quod vix divinâ ope posset impleri; quæ saxa tam vasta, quas tam proceras arbores posse reperiri? exhauriendas esse regiones, ut illud spatium aggeraretur; et exæstuare semper fretum; quòque arctius volutetur inter insulam et continentem, hoc acriùs furere. At ille, haudquaquàm rudis tractandi militares animos, speciem sibi Herculis in somno oblatam esse pronunciat, dextram porrigentis; illo duce, illo aperiente in urbem intrare se visum: inter hæc, caduceatores interfectos, gentium jura violata, referebat; unam esse urbem quæ cursum victoris morari ausa esset. Ducibus deindè negotium datur, ut suos quisque castiget: satisque omnibus stimulatis, opus orsus est.

Magna vis saxorum ad manum erat, Tyro vetere præbente; materies ex Libano monte ratibus et turribus faciendis vehebatur. Jamque à fundo maris in altitudinem montis opus excreverat, nondùm tamen aquæ fastigium æquabatur: et, quò longiùs moles agebatur à littore, hoc magis quidquid ingerebatur præaltum absorbebat mare quum Tyrii, parvis navigiis admotis, per ludibrium exprobrabant, illos, armis inclytos, dorso sicut jumenta onera gestare; interrogabant etiam, num major Neptuno esset Alexander. Hæc ipsa insectatio alacritatem militum accendit. Jamque paululùm moles aquam eminebat, et simul aggeris latitudo crescebat urbique admovebatur; quum Tyrii magnitudine molis, cujus incrementum eos antè fefellerat, conspectâ, levibus navigiis nondùm commissum opus circumire cœperunt, missilibus eos quoque qui pro opere stabant incessere: multis ergò impunè vulneratis, quum et removere et appellere scaphas in expedito esset, ad curam semetipsos tuendi ab opere converterant. Igitur rex munientibus coria velaque jussit obtendi, ut extra teli ictum essent; duasque turres ex capite molis erexit, è quibus in subeuntes scaphas tela ingeri possent. Contra, Tyrii navigia procul à conspectu hostium littori appellunt, expositisque militibus, eos qui saxa gestabant, obtruncant. In Libano quoque Arabum agrestes incompositos

Macedonas aggressi, triginta ferè interficiunt, paucioribus captis.

Ea res Alexandrum dividere copias coegit; et ne segniter assidere uni urbi videretur, operi Perdiccam Craterumque præfecit, ipse cum expeditâ manu Arabiam petiit. Inter hæc Tyrii navem, magnitudine eximiâ, saxis arenâque à puppi oneratum ità ut multùm prora emineret, bitumine ac sulphure illitam, remis concitaverunt; et quum magnam vim venti vela quoque concepissent, celeriter ad molem successit: tunc prorâ ejus accensâ, remiges desiliêre in scaphas, quæ ad hoc ipsum præparatæ sequebantur. Navis autem, igne concepto, latiùs fundere incendium cœpit, quod, priusquàm posset occurri, turres et cetera opera in capite molis posita comprehendit. At qui desilierant in parva navigia, faces et quidquid alendo igni aptum erat in eadem opera ingerunt. Jamque non modò Macedonum turres, sed etiam summa tabulata conceperant ignem, quum ii qui in turribus erant, partim haurirentur incendio, partim armis omissis in mare semetipsi immitterent: at Tyrii, qui capere eos quàm interficere mallent, natantium manus stipitibus saxisque lacerabant, donec debilitati impunè navigiis excipi possent. Nec incendio solùm opera consumta: sed fortè eodem die vehementior ventus motum ex profundo mari illisit in molem! crebrisque fluctibus compages operis verberatæ se laxavêre;

saxaque interluens unda medium opus rupit; prorutis igitur lapidum cumulis quibus injecta terra sustinebatur, præceps in profundum ruit; tantæque molis vix ulla vestigia invenit Arabiâ rediens Alexander.

Hic, quod in adversis rebus solet fieri, alius in alium culpam referebat; quum omnes veriùs de sævitiâ maris queri possent. Rex novi operis molem orsus, in adversum ventum non latere, sed rectâ fronte direxit, quod cetera opera, velut sub ipso latentia, tuebatur; latitudinem quoque aggeri adjecit, ut turres in medio erectæ procul teli jactu abessent. Totas autem arbores cum ingentibus ramis in altum jaciebant; deindè saxis onerabant; rursùs cumulo eorum alias arbores injiciebant: tum humus aggerebatur; superque aliâ strue saxorum arborumque cumulatâ, velut quodam nexu continens opus junxerant. Nec Tyrii quidquid ad impediendam molem excogitari poterat segniter exsequebantur. Præcipuum auxilium erat, qui procul hostium conspectu subibant aquam, occultoque lapsu ad molem usque penetrabant, falcibus palmites arborum eminentium ad se trahentes; quæ ubi secutæ erant, pleraque secum in profundum dabant: tum levatos onere stipites truncosque arborum haud ægrè moliebantur; deindè totum opus, quod stipitibus fuerat innixum, fundamento lapso, sequebatur. Ægro animi Alexandro, et utrum perseveraret an abiret satis incerto,

classis Cypro[1] advenit, eodemque tempore Cleander, cum græcis militibus in Asiam nuper advectus. Centum et nonaginta navium classem in duo dividit cornua; lævum Pytagoras, rex Cypriorum, cum Cratero tuebatur; Alexandrum in dextro quinqueremis regia vehebat. Nec Tyrii quanquam classem habebant, ausi navale inire certamen, triremes omnes antè ipsa mœnia opposuerunt; quibus rex invectus tres demersit.

Posterâ die, classe ad mœnia admotâ, undique tormentis et maximè arietum pulsu muros quatit: quos Tyrii raptìm obstructis saxis refecerunt, interiorem quoque murum, ut, si prior fefellisset, illo se tuerentur, undique orsi. Sed undique vis mali urgebat: moles intra teli jactum erat: classis mœnia circumibat; terrestri simul navalique clade obruebantur.— Quippe binas quadriremes Macedones inter se ità junxerant, ut proræ cohærerent, puppes intervallo, quantùm capere poterant, distarent; hoc puppium intervallum antennis asseribusque validis deligatis, superque eos pontibus stratis qui militem sustinerent, impleverant: sic instructas quadriremes ad urbem agebant;

[1] *Cypro.* Cyprus, one of the greatest islands of the Mediterranean, towards the south coast of Natolia. In the western part of this isle stood the celebrated city of Paphos, where they say Venus landed, when first formed from the froth of the sea.

indè missilia in propugnantes ingerebantur tuto, quia proris miles tegebatur. Media nox erat, quum classem, sicuti dictum est, paratam, circumire muros jubet: jamque naves urbi undique admovebantur, et Tyrii desperatione torpebant; quum subitò spissæ nubes intendere se cœlo, et quidquid lucis internitebat effusâ caligine extinctum est. Tum inhorrescens mare paulatìm levari; deindè, acriori vento concitatum, fluctus ciere et inter se navigia collidere. Jamque scindi cœperant vincula quibus connexæ quadriremes erant, ruere tabulata, et cum ingenti fragore in profundum secum milites trahere. Neque enim conserta navigia ullâ ope in turbido regi poterant: miles ministeria nautarum, remiges militis officia turbabant; et, quod in hujusmodi casu accidit, periti ignaris parebant; quippe gubernatores, aliàs imperare soliti, tum metu mortis jussa exsequebantur. Tandem remis pertinaciùs everberatum mare, veluti eripientibus navigia, classis cessit; appulsaque sunt littori, lacerata pleraque.

Iisdem diebus fortè Carthaginiensium legati triginta superveniunt, majus obsessis solatium, quàm auxilium, quippe domestico bello Pœnos impediri, nec de imperio, sed pro salute, dimicare nunciabant: Syracusani tunc Africam urgebant, et haud procul Cârthaginis muris locaverant castra. Non tamen defecêre animis Tyrii, quanquàm ab ingenti spe destituti erant,

sed conjuges liberosque devehendos Carthaginem tradiderunt; fortiùs quidquid accideret laturi, si carissimam suî partem extra communis periculi sortem habuissent. Quumque unus è civibus concioni indicasset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem eximiâ religione colerent, urbem deserentis, molemque à Macedonibus jactam in salo, in silvestrem saltum esse mutatam; quanquàm auctor levis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu, aureâ catenâ devinxêre simulacrum aræque Herculis, cujus numini urbem dicaverant, inseruêre vinculum, quasi illo deo Apollinem retenturi. Syracusis[1] id simulacrum devexerant Pœni, et in majore locaverant patriâ; multisque aliis spoliis urbium, à semet captarum, non Carthaginem magis quàm Tyrum ornaverant. Sacrum quoque, quod quidem diis minimè cordi esse crediderim, multis seculis intermissum, repetendi auctores quidam erant; ut ingenuus puer Saturno immolaretur: quod sacrilegium verius quàm sacrum Carthaginenses, à conditoribus traditum, usque ad excidium urbis suæ fecisse dicuntur; ac nisi seniores obstitissent, quo-

[1] *Syracusis.* Syracuse, formerly the capital of all Sicily, now called *Syra Cossa*, is situate next to the sea, upon the south-east side, and in the valley of Noto. It is now very small compared with what it was.

rum consilio cuncta agebantur, humanitatem dira superstitio vicisset.

Cæterùm, efficacior omni arte imminens necessitas, non usitata modò præsidia, sed quædam etiam nova admonuit. Namque ad implicanda navigia quæ muros subibant validis asseribus corvos et ferreas manus cum uncis ac falcibus illigaverant, ut, quum tormento asseres promovissent, subitò laxatis funibus injicerent; unci quoque et falces ex iisdem asseribus dependentes, aut propugnatores, aut ipsa navigia lacerabant. Clypeos verò æneos multo igne torrebant, quos, repletos fervidâ arenâ cænoque decocto, è muris subitò devolvebant. Nec ulla pestis magis timebatur; quippe ubi loricam corpusque fervens arena penetraverat, nec ullâ vi excuti poterat, et quidquid attigerat perurebat; jacientesque arma, laceratis omnibus quibus protegi poterant, vulneribus inulti patebant; corvi verò et ferreæ manus tormentis emissæ plerosque rapiebant.

Hìc rex fatigatus statuerat, solutâ obsidione, Ægyptum petere; quippe quum Asiam ingenti celeritate percurrisset, circà muros unius urbis hærebat, tot maximarum rerum opportunitate dimissâ. Cæterùm tàm discedere irritum, quàm morari pudebat; famam quoque, quâ plura quàm morari pudebat; famam quoque, quâ plura quàm armis everterat, ratus leviorem fore, si Tyrum, quasi testem se posse vinci, reliquisset: igitur ne quid inexpertum

omitteret, plures naves admoveri jubet delectosque militum imponi. Et fortè bellua inusitatæ magnitudinis, super ipsos fluctus dorso eminens, ad molem quam Macedones jecerant ingens corpus applicuit, diverberatisque fluctibus allevans semet, utrimque conspecta est; deindè à capite molis rursùs alto se immersit, ac modò super undas eminens magnâ suî parte, modò superfusis fluctibus condita, haud procul munimentis urbis emersit. Utrisque lætus fuit belluæ aspectus: Macedones iter jaciendo operi monstrâssse eam augurabantur: Tyrii, Neptunum, occupati maris vindicem, arripuisse belluam, ac molem brevi profectò ruituram. Lætique omine eo ad epulas dilapsi oneravêre se vino; quo graves, orto sole, navigia conscendunt, redimita coronis floribusque: adeò victoriæ non omen modò, sed etiam gratulationem præceperant.

Fortè rex classem in diversam partem agi jusserat, triginta minoribus navigiis relictis in littore; è quibus, Tyrii, duobus captis, cætera ingenti terruerant metu, donec, suorum clamore audito, Alexander classem littori è quo fremitus acciderat admovit. Prima è Macedonum navibus, quinqueremis, velocitate inter cæteras eminens occurrit: quam ut conspexêre Tyrii, duæ è diverso in latera ejus invectæ sunt; in quarum alteram quinqueremis eadem concitata, et ipsa rostro icta est, et illam invicem tenuit. Jamque ea quæ non cohære-

bat, libero impetu evecta, in aliud quinqueremis latus invehebatur ; quum, opportunitate mirâ, triremis è classe Alexandri in eam ipsam quæ quinqueremi imminebat tantâ vi impulsa est, ut Tyrius gubernator in mare excuteretur è puppi. Plures deindè Macedonum naves superveniunt, et rex quoque aderat, quum Tyrii, innitentes remis, ægrè evellunt navem quæ hærebat, portumque omnia simul navigia repetunt. Confestìm rex insecutus, portum quidem intrare non potuit, quum procul è muris missilibus submoveretur, naves autem omnes ferè aut demersit aut cepit.

Biduo deinde ad quietem dato militibus, jussisque et classem et machinas pariter admovere, ut utrimque territis instaret ; ipse in altissimam turrem ascendit, ingenti animo, periculo majore : quippe regio insigni et armis fulgentibus conspicuus, unus præcipuè telis petebatur. Et digna prorsùs spectaculo edidit : multos è muris propugnantes hastâ transfixit ; quosdam etiam, cominus gladiò clypeoque impulsos, præcipitavit : quippe turris ex quâ dimicabat muris hostium propemodum cohærebat. Jamque crebris arietibus saxorum compage laxatâ, munimenta defecerant, et classis intraverat portum, et quidam Macedonum in turres hostium desertas evaserant ; quum Tyrii, tot simul malis victi, alii supplices in templa confugiunt ; alii foribus ædium obseratis occupant liberum mortis arbitrium ;

nonnulli ruunt in hostem, haud inulti tamen perituri; magna pars summa tectorum obtinebat, saxa et quidquid manibus sors dederat ingerentes subeuntibus. Alexander, exceptis qui in templa confugerant, omnes interfici, ignemque tectis injici jubet. His per præcones pronuntiatis, nemo tamen armatus opem à diis petere sustinuit: pueri virginesque templa compleverant; viri in vestibulo suarum quisque ædium stabant, parata sævientibus turba. Multis tamen saluti fuere Sidonii, qui intra Macedonum præsidia erant: hi urbem quidem inter victores intraverant; sed cognationis cum Tyriis memores (quippe utramque urbem Agenorem condidisse credebant) multos Tyriorum, etiam protegentes, ad sua perduxere navigia; quibus occultatis, Sidona devecti sunt. Quindecim millia hoc furto subducta sævitiæ sunt; quantùmque sanguinis fusum sit vel ex hoc existimari potest, quòd intrà munimenta urbis sex millia armatorum trucidata sunt. Triste deindè spectaculum victoribus ira præbuit regis: duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi peringens littoris spatium pependerunt. Carthaginiensium legatis pepercit; additâ denunciatione belli, quod præsentium rerum necessitas moraretur.

Tyrus septimo mense quàm oppugnari cœpta erat, capta est.

NARRATION XVIII.

The triumphant entry of Alexander into Babylon, A. C. 332.

(Anc. Hist. Q. Cur. book 5.)

From the moment Alexander had finished so terrible a vengeance, his vast genius suggests the project of founding in Egypt a new Tyre, and of making it as flourishing as the ancient city had been, either by its population, its opulence, or its commerce. He calls his new city, after his own name, Alexandria.[1]

Free from all those cares which had suspended his march against Darius, he advances to the contest, which he begins in the plains of Arbela,[2] and obtains a victory which secures to him the empire of Asia.

Whilst Darius is abandoned by his dearest favourites, wandering and fugitive, and near to expire, the victim of the villainous treachery of Bassus, Alexander enters Babylon[3] in triumph.

---

[1] Alexandria is situated upon one of the western mouths of the Nile, near to the Mediterranean. Its situation was so eligible, that whilst under the first successors of Alexander, it became the emporium of the world and the centre of commerce. This state of splendour lasted till the building of Cairo by the Soudans. It ceased at last all at once, when the Portuguese by the discovery of the Cape of Good Hope, opened a new direction for commerce. We see yet in this city the vestiges of its ancient greatness.

[2] Arbela now called Erbel, is in Persia and upon the frontiers of Asiatic Turkey.

[3] Babylon. See page 9.

Alexander quadrato agmine, quod ipse ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos jubet. Magna pars Babyloniorum constiterat in muris, avida cognoscendi novum regem. Plures obviàm egressi sunt; inter quos Bagophanes, arcis et regiæ pecuniæ custos: ne studio à Mazæo vinceretur, totum iter floribus coronisque constraverat, argenteis altaribus utroque latere dispositis, quæ, non thure modo, sed omnibus odoribus cumulaverat: eum dona sequebantur, greges pecorum equorumque; leones quoque et pardales caveis præferebantur. Magi deinde, suo more patrium carmen canentes. Post hos Chaldæi, Babyloniorumque non vates modò, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant: laudes ii regum canere soliti; Chaldæi siderum motus et statas temporum vices ostendere. Equites deindè Babylonii, suo atque equorum cultu ad luxuriam magis quàm ad magnificentiam exacto, ultimi ibant. Rex, armatis stipatus, oppidanorum turbam post ultimos pedites ire jussit; ipse cum curru urbem ac deinde regiam intravit. Postero die supellectilem Darii et omnem pecuniam recognovit.

Cæterùm, ipsius urbis pulchritudo ac vetustas, non regis modò, sed etiam omnium oculos in semet haud immeritò convertit. Semiramis eam condiderat; vel, ut plerique credidêre, Belus, cujus regia ostenditur. Murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus,

spatium xxx et duorum pedum latitudinem amplectitur; quadrigæ inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur : altitudo muri c cubitorum eminet spatio, turres denis pedibus quàm murus altiores sunt : totius operis ambitus CCCLXVIII stadia complectitur. Singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memoriæ proditum est. Ædificia non sunt admota muris, sed ferè spatium unius jugeris absunt ; ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt : per xc stadia habitatur ; nec omnia continua sunt, credo, quia tutius visum est pluribus locis spargi : cætera serunt coluntque ut, si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur. Euphrates interfluit, magnæque molis crepidinibus coercetur : sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernæ ingentes, in altitudinem pressæ ad accipiendum impetum fluminis ; quod, ubi appositæ crepidinis fastigium excessit, urbis tecta corriperet, nisi essent specus lacusque qui exciperent : coctili laterculo structi sunt, totum opus bitumine astringitur. Pons lapideus, flumini impositus, jungit urbem : hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus est ; quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta jacienda egesto, vix suffulciendo operi firmum reperiunt solum ; arenæ autem subindè cumulatæ, et saxis quibus pons sustinetur adnexæ, morantur amnem, qui, retentus, acriùs

quàm si libero cursu mearet illiditur. Arcem quoque ambitu XX stadia complexam habet: XXX pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt; ad LXXX summum munimenti fastigium pervenit.

Super arce, vulgatum Græcorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt, summam murorum altitudinem æquantes, multarumque arborum umbrâ et proceritate amœni. Saxo pilæquæ totum onus sustinent instructæ sunt: super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terræ quam altam injiciunt et humoris quo rigant terras; adeòque validas arbores sustinent moles, ut stipites earum VIII cubitorum spatium crassitudine æquent, in L pedum altitudinem emineant, et frugiferæ sint ut si terrâ suâ alerentur: et quum vetustas, non opera solùm manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatìm exedendo perimat; hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur tantique nemoris pondere onerata est, inviolata durat: quippe XX lati parietes sustinent, undecim pedum intervallo distantes; ut procul visentibus sylvæ montibus suis imminere videantur. Syriæ regem, Babylone regnantem, hoc opus esse molitum, memoriæ proditum est, amore conjugis victum, quæ, desiderio nemorum silvarumque in campestribus locis virum compulit amænitatem naturæ genere hujus operis imitari. Diutius in hâc urbe quàm usquam constitit rex; nec ullus locus disciplinæ militari magis nocuit.

NARRATION XIX.

Murder of Clitus.

[Anc. Hist. Q. Cur. book 8.]

THE most important cities of Persia, Susa[1] Persepolis[2] and Ecbatana[3] are eager to follow the example of Babylon and open their gates to the conqueror.

It did not escape Alexander, that in conquering others, he should also vanquish the excesses of his own passions: But the silly vanity he had of passing for the Son of Jupiter, with his excessive thirst for wine, and the violent acts he often committed in his fits of rage, sullied the glory of his achievements in the eyes of posterity. Parmenio, the greatest of his generals, is sacrificed to his jealousy, and the virtuous Callisthenes is delivered to the most cruel tortures for despising his divinity. The repentance he shews for the murder of Clitus, proves the greatness of his fault, but not his justification.

HIC erat qui apud Granicum amnem nudo capite regem dimicantem clypeo suo texit, et

---

[1] Suze—now Susa or Souster, is still the capital of Chusistan in Persia.

[2] Persepolis, now in ruins, is called Estaker, near Schiras in Persia.

[3] Ecbatana. see page 10.

Rhosacis manum capiti regis imminentem gladio amputatvit ; vetus Philippi miles, multisque bellicis operibus clarus : Hellanice, quæ Alexandrum educaverat, soror ejus, haud secùs quàm mater à rege diligebatur. Ob has causas validissimam imperii partem fidei ejus tutelæque commisit. Jamque iter parare in posterum jussus, solemni et tempestivo adhibetur convivio ; in quo rex, quum multo incaluisset mero, immodicus æstimator sui, celebrare quæ gesserat cœpit, gravis etiam eorum auribus qui sentiebant vera memorari. Silentium tamen habuêre seniores, donec Philippi res orsus obterere, nobilem apud Chæroneam victoriam sui operis fuisse jactavit, ademptamque sibi malignitate et invidiâ patris tantæ rei gloriam : illum quidem, seditione inter Macedones milites et Græcos mercenarios ortâ, debilitatum vulnere quod in eâ consternatione acceperat, jacuisse, non aliàs quàm simulatione mortis tutiorem ; se corpus ejus protexisse clypeo suo, ruentesque in illum suâ manu occisos ; quæ patrem nunquâm æquo animo esse confessum, invitum filio debentem salutem suam : itaque post expeditionem quam sine eo fecisset ipse in Illyrios, victorem scripsisse se patri fusos fugatosque hostes nec adfuisse unquàm Philippum : laude dignos esse, non qui Samothracum initia viserent quum Asiam uri vastari-

que oporteret, sed eos qui magnitudine rerum fidem antecessissent.

Hæc et his similia læti audîêre juvenes ; ingrata senioribus erant, maximè propter Philippum, sub quo diutiùs vixerant. Tum Clitus, ne ipse quidem satìs sobrius, ad eos qui infrà ipsum cubabant conversus, Euripidis retulit carmen, ità ut sonus magis quàm sermo exaudiri posset à rege, quo significabatur, malè instituisse Græcos quòd tropæis regum duntaxat nomina inscriberentur, alieno enim sanguine partam gloriam intercipi : itaque rex, quum suspicaretur maligniùs habitum esse sermonem, percontari proximos cœpit quid ex Clito audissent ; et illis ad silentium obstinatis, Clitus paulatìm majore voce Philippi acta bellaque in Græciâ gesta commemorat, omnia præsentibus præferens. Hinc inter juniores senesque orta contentio est : et rex, velut patienter audiret quîs Clitus obterebat laudes ejus, ingentem iram conceperat. Cæterùm, quum animo videretur imperaturus si finem procaciter orto sermoni Clitus imponeret, nihil eo remittente, magis exasperabatur : jamque Clitus etiam Parmenionem defendere audebat, et Philippi de Atheniensibus victoriam Thebarum præferebat excidio, non vino modò, sed etiam animi pravâ contentione provectus.

Ad ultimum, Si moriendum, inquit, est pro te, Clitus est primus ; at quum victoriæ arbi-

trium agis, præcipuum ferunt præmium qui procacissimè patris tui memoriæ illudant, Sogdianam regionem mihi attribuis, toties rebellem, et non modò indomitam, sed quæ ne subigi quidem possit : mittor ad feras bestias ? præcipitia ingenia sortitas : sed quæ ad me pertinent transeo. Philippi milites spernis, oblitus, nisi hic Atharias senex juniores pugnam detrectantes revocasset, adhuc nos circa Halicarnassum hæsuros fuisse ; quomodò ergò Asiam etiam cum istis junioribus subjecisti ? Verum est, ut opinor, quod avunculum tuum in Italiâ dixisse constat ; ipsum in viros incidisse, te in feminas. Nihil ; ex omnibus inconsultè ac temerè jactis, regem magis moverat quàm Parmenionis cum honore mentio illata. Dolorem tamen rex pressit, contentus jussisse ut convivio excederet : nec quidquàm aliud adjecit, quàm forsitan eum, si diutiùs loquutus foret, exprobraturum sibi fuisse vitam â semetipso datam ; hoc enim superbè sæpè jactasse. Atque illum cunctantem adhuc surgere, qui proximi ei cubuerant, injectis manibus, jurgantes monentesque conabantur abducere. Clitus, quum abstraheretur, ad pristinam violentiam irâ quoque adjecta, suo pectore tergum illius esse defensum ; nunc postquàm tanti meriti præteriit tempus, etiam memoriam invisam esse, proclamat : Attali quoque cædem objiciebat ; et ad ultimum, Jovis, quem patrem sibi Alexander assereret,

oraculum eludens, veriora se regi quàm patrem ejus respondisse dicebat.

Jam tantùm iræ conceperat rex quantùm vix sobrius ferre potuisset : enimverò, olim mero sensibus victis, ex lecto repentè prosiluit ; attoniti amici, ne positis quidem sed abjectis poculis, consurgunt, in eventum rei quam tanto impetu acturus esset intenti. Alexander, raptâ lanceâ ex manibus armigeri, Clitum, adhuc eâdem linguæ intemperantiâ furentem, percutere conatus, à Ptolemæo et Perdiccâ inhibetur ; medium complexi et obluctati perseverantem morabantur ; Lysimachus et Leonnatus etiam lanceam abstulerant : ille, militum fidem implorans, comprehendi se à proximis amicorum quod Dario nuper accidisset exclamat ; signumque tubâ dari ut ad regiam armati coirent jubet. Tum verò Ptolemæus et Perdiccas, genibus advoluti, orant ne in tam præcipiti irâ perseveret, spatiumque potiùs animo det ; omnia postero die justiùs exsecuturum. Sed clausæ erant aures, obstrepente irâ : itaque impotens animi percurrit in regiæ vestibulum : et vigili excubanti hastâ ablatâ, constitit in aditu quo necesse erat iis qui simul cœnaverant egredi. Abierant cæteri, Clitus ultimus sine lumine exibat. Quem rex quisnam esset, interrogat ; eminebat, etiam in voce, sceleris quod parabat atrocitas : et ille, jam non suæ sed regis iræ memor, Clitum esse et de convivio exire respondit. Hæc dicentis la-

tus hastâ transfixit; morientisque sanguine aspersus, I nunc, inquit, ad Philippum, et Parmenionem, et Attalum.

Malè humanis ingeniis natura consuluit, quòd plerumque, non futura, sed transacta perpendimus: quippe rex, postquàm ira mente decesserat, etiam ebrietate discussâ, magnitudinem facinoris serâ æstimatione perspexit; videbat, tunc immodicâ libertate abusum, sed alioqui egregium bello virum, et nisi erubesceret fateri, servatorem suî occisum. Detestabile carnificis ministerium occupaverat rex: verborum licentiam, quæ vino poterat imputari, nefandâ cæde ultus. Manabat toto vestibulo cruor paulò ante convivæ; vigiles, attoniti et stupentibus similes, procul stabant; liberioremque pœnitentiam solitudo exciebat. Ergò hastam, ex corpore jacentis evulsam, retorsit in semet; jamque admoverat pectori, quum advolant vigiles, et repugnanti è manibus extorquent, allevatumque in tabernaculum deferunt. Ille humi prostraverat corpus, gemitu ejulatuque miserabili totâ personante regiâ; laniare deindè os unguibus et circumstantes rogare ne se tanto dedecori superstitem esse paterentur: in has preces tota nox exacta est. Scrutantemque nùm irâ deorum ad tantum nefas actus esset, subit anniversarium sacrificium Libero patri non esse redditum statuto tempore; itaque, inter vinum et epulas cæde commissâ, iram dei fuisse manifestam.

Cæterùm, magis eò movebatur, quòd omnium amicorum animos videbat attonitos; neminem cum ipso sociare sermonem posteà ausurum; vivendum esse in solitudine velut feræ bestiæ, terrenti alias, alias timenti. Primâ deinde luce tabernaculo corpus, sicut adhuc cruentum erat, jussit inferri. Quo posito antè ipsum, lacrymis obortis, Hanc, inquit, nutrici meæ gratiam retuli; cujus duo filii apud Miletum pro mea gloriâ occubuêre mortem; hic frater, unicum orbitatis solatium, à me inter epulas occisus est! Quò nunc se conferet misera? Omnibus ejus unus supersum, quem solum æquis oculis videre non poterit. Et ego, servatorum meorum latro, revertar in patriam, ut nè dextram quidem nutrici sine memoria calamitatis ejus offerre possim? Et quum finis lacrymis querelisque non fieret, jussu amicorum corpus ablatum est. Rex triduùm jacuit inclusus: quem ut armigeri corporisque custodes ad moriendum obstinatum esse cognoverunt, universi in tabernaculum irrumpunt, diuque precibus eorum reluctatum ægrè vicerunt ut cibum caperet; quoque minùs cædis puderet, jure interfectum Clitum Macedones decernunt, sepulturâ quoque prohibituri, ni rex humari jussisset. Igitur decem diebus maximè ad confirmandum pudorem apud Maracanda consumptis, cum parte exercitûs Hephæstionem in regionem Bactrianam misit,

commeatus in hiemem paraturum: quam Clito autem destinaverat provinciam, Amyntæ dedit.

NARRATION XX.

The magnanimity of Porus.

(Anc. Hist. Q. Cur. book 8.)

Alexander, after having conquered Persia, wishes to march in the footsteps of Hercules and Bacchus. He undertakes to subjugate India. Taxiles, one of its kings, comes voluntarily to place his crown at his feet: but another king, Porus, dares to resist him, and by his courage and greatness of soul compels even his conqueror to esteem him.

Porus, destitutus à pluribus, tela multò ante præparata in circumfusos ex elephanto suo cœpit ingerere, multisque eminùs vulneratis, expositus ipse ad ictus, undique petebatur.—Novem jam vulnera, hinc tergo, illinc pectore, exceperat, multoque sanguine profuso, languidis manibus magis elapsa quàm excussa tela mittebat: nec segniùs bellua, instincta rabie, nondùm saucia, invehebatur ordinibus; donec rector belluæ regem conspexit, fluentibus membris omissisque armis, vix compotem mentis. Tum belluam in fugam concitat, sequente Alexandro; sed equus ejus multis vulneribus confossus deficiensque, procubuit, po-

sito magis rege quàm effuso; itaque, dùm equum mutat, tardiùs insequutus est.

Interim frater Taxilis, regis Indorum, præmissus ab Alexandro, monere cœpit Porum, ne ultima experiri perseveraret dederetque se victori. At ille, quanquàm exhaustæ erant vires deficiebatque sanguis, tamen ad notam vocem excitatus, Agnosco, inquit, Taxilis fratrem, imperii regnique sui proditorem; et telum, quod unum fortè non effluxerat, contorsit in eum, quod per medium pectus penetravit ad tergum. Hoc ultimo virtutis opere edito, fugere acriùs cœpit: sed elephantus quoque, qui multa exceperat tela, deficiebat; itaque, sistit fugam peditemque sequenti hosti objecit. Jam Alexander consequutus erat, et, pertinaciâ Pori cognitâ, vetabat resistentibus parci: ergò undique et in pedites et in ipsum Porum tela congesta sunt, quibus tandem gravatus labi ex belluâ cœpit. Indus qui elephantum regebat, descendere eum ratus, more solito elephantum procumbere jussit in genua; qui ut se submisit, cæteri quoque, ità enim instituti erant, demisêre corpora in terram: ea rès et Porum et cœteros victoribus tradidit.

Rex spoliari corpus Pori, interemtum esse credens, jussit, et qui detraherent loricam vestemque concurrêre; quum bellua dominum tueri, et spoliantes cæpit appetere, levatumque corpus rursus dorso suo imponere: ergò telis undique obruitur, confossoque eo, in vehicu-

lum Porus imponitur. Quem rex ut vidit allevantem oculos, non odio, sed miseratione commotus, Quæ, malum! inquit, amentia te coegit, rerum mearum cognitâ famâ, belli fortunam experiri, quum Taxiles esset in deditos clementiæ meæ tam propinquum tibi exemplum? At ille, Quoniam, inquit, percontaris, respondebo eâ libertate quam interrogando fecisti. Neminem me fortiorem esse censebam; meas enim noveram vires, nondùm expertus tuas: fortiorem esse te belli docuit eventus; sed ne sic quidem parum felix sum, secundus tibi. Rursùs interrogatus quid ipse victorem statuere debere censeret. Quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es quàm caduca felicitas esset. Plus monendo profecit quàm si precatus esset: quippe magnitudinem animi ejus, interritam ac ne fortunâ quidem infractam, non misericordiâ modò, sed etiam honore excipere dignatus est; ægrum curavit haud secùs quàm si pro ipso pugnasset, confirmatum contrà spem omnium in amicorum numerum recepit, mox donavit ampliore regno quàm tenuit. Nec sanè quidquam ingenium ejus solidius aut constantius habuit, quàm admirationem veræ laudis et gloriæ: simpliciùs tamen famam æstimabat in hoste quàm in cive: quippe à suis credebat magnitudinem suam destrui posse, eamdem clariorem fore quò majores fuissent quos ipse vicisset.

NARRATION XXI.

Voyage upon the Indus.[1]

(Anc. Hist. Q. Cur. book 3.)

India being subdued, Alexander embarks upon the Indus to see the ocean and to visit the extremity of the world. This, though attended but with little hazard, presents to his imagination an achievement of glory and renown.

Pervicax cupido incessit visendi Oceanum adeundique terminos mundi, ut, sine regionis peritis, flumini ignoto caput suum totque fortissimorum virorum salutem permitteret. Navigabant ergo, omnium per quæ ferebantur ignari: quantùm indè abesset mare; quæ gentes colerent: quàm placidum amnis os, quàm patiens longarum navium esset, anceps et cæca æstimatio augurabatur: unum erat temeritatis solatium perpetua felicitas. Jam cccc stadia processerant, quum gubernatores, agnoscere ipsos auram maris et haud procul videri sibi Oceanum abesse, indicant regi. Lætus ille hortari nauticos cæpit, incumberent remis; adesse finem laboris omnibus votis ex-

[1] The *Indus*, is a considerable river of India, which now bears the name Sindus. It commences in the mountains formerly called Emodus, and runs to the south-west, into a small gulf below Guzarat.

petitum ; jam nihil gloriæ deesse, nihil obstare virtuti : sine ullo Martis discrimine, sine sanguine orbem terræ ab illis capi ; ne naturam quidem longiùs posse procedere, brevi incognita, nisi immortalibus, esse visuros. Paucos tamen navigio emisit in ripam qui agrestes vagos exciperent, è quibus certiora nosci posse sperabat: illi, scrutati omnia tuguria, tandem latentes reperêre, qui, interrogati quàm procul abesset mare, responderunt nullum ipsos mare, ne famâ quidem, accepisse: ceterùm, tertio die perveniri posse ad aquam amaram quæ corrumperet dulcem. Intellectum est mare destinari ab ignaris naturæ ejus: itaque ingenti alacritate nautici remigant, et proximo quoque die, quo propiùs spes admovebatur, crescebat ardor animorum. Tertio jam die mixtum flumini subibat mare, leni adhùc æstu confundente dispares undas. Tum aliam insulam, medio amni sitam, evecti paulò lentius, quia cursus æstu reverberabatur, applicant classem, et ad commeatus petendos discurrunt, securi casûs ejus qui supervenit ignaris.

Tertia fermè hora erat, quum statâ vice Oceanus exæstuans invehi cœpit et retrò flumen urgere ; quod primò coercitum, deindè vehementiùs pulsum, majore impetu adversùm agebatur quàm torrentia præcipiti alveo incurrunt. Ignota vulgo freti natura erat, monstraque et iræ deûm indicia cernere videbantur. Identidem intumescere mare, et in campos

paulò ante siccos descendere superfusum.— Jamque levatis navigiis et totâ classe dispersâ, qui expositi erant, undique ad naves, trepidi et improviso malo attoniti, recurrunt: sed in tumultu festinatio quoque tarda est. Hi contis navigia appellebant: hi, dùm remos aptari prohibebant, consederant: quidam enavigare properantes, sed non exspectatis qui simul esse debebant, clauda et inhabilia navigia languidè moliebantur; aliæ navium inconsultè ruentes non receperant; pariterque et multitudo et paucitas festinantes morabatur. Clamor, hinc exspectare, hinc ire jubentium, dissonæque voces nusquam idem ac unum tendentium, non oculorum modò usum sed etiam aurium abstulerant, ne in gubernatoribus quidem quidquam opis erat, quorum nec exaudiri vox à tumultuantibus poterat, nec imperium à territis incompositisque servari. Ergò collidi inter se naves, abstergerique invicem remi, et alii aliorum navigia urgere cœperunt: crederes, non unius exercitûs classem vehi, sed duorum navale inisse certamen; incutiebantur puppibus proræ, premebantur à sequentibus qui antecedentes turbaverant, jurgantium ira perveniebat etiam ad manus.

Jamque æstus totos circa flumen campos inundaverat, tumulis duntaxat eminentibus velut insulis parvis, in quos plerique trepidi, omissis navigiis enare cœperunt. Dispersa classis partìm in prærlta aquâ stabat, quà sub-

sederant valles, partìm in vado hærebat, ut cumque inæquale terræ fastigium occupaverant undæ; quum subito novus et pristino major terror incutitur: reciprocare cœpit mare, magno tractu aquis in suum fretum recurrentibus; reddebatque terras paulò ante profundo salo mersas. Igitur destituta navigia, alia præcipitantur in proras; alia in latera procumbunt; strati erant campi sarcinis, armis, avulsarum tabularum remorumque fragmentis; miles nec egredi in terram nec in naves subsistere audebat, identidem præsentibus graviora quæ sequerentur expectans, vix quæ perpetiebantur videre ipsos credebant, in sicco naufragia, in amni mare. Nec finis malorum, quippe æstum paulò post mare relaturum quo navigia allevarentur ignari, famem et ultima sibimet ominabantur; belluæ quoque fluctibus destitutæ terribiles vagabantur.

Jamque nox appetebat, et regem quoque desperatio salutis ægritudine affecerat: non tamen invictum animum curæ obruunt, quin totâ nocte præsideret in speculis equitesque præmitteret ad os amnis, ut, quum mare rursùs exæstuare sensissent, procederent; navigia quoque lacerata refici et eversa fluctibus erigi jubet, paratosque esse et intentos quum rursùs mare terras inundasset. Totâ eâ nocte inter vigilias adhortationesque consumptâ, celeriter et equites ingenti cursu refugêre: et sequutus est æstus, qui primò, aquis leni trac-

tu subeuntibus, cœpit levare navigia, mox, totis campis inundans, etiam impulit classem; plaususque militum nauticorumque, insperatam salutem immodico celebrantium gaudio, littoribus ripisque resonabat: undè tantum redisset subitò mare; quò pridie refugisset; quænam esset ejusdem elementi natura, modò discors, modò imperio temporum obnoxia, mirabundi requirebant. Rex quum ex eo quod acciderat conjectaret, post solis ortum statum tempus esse; mediâ nocte, ut æstum occuparet, cum paucis navigiis secundo amne defluxit: evectusque os ejus, quadringenta stadia processit in mare, tandem voti sui compos; præsidibusque maris et locorum diis sacrificio facto, ad classem rediit.

NARRATION XXII.

The death of Alexander, A. C. 324.

(Anc. Hist. Q. Cur. book 10.)

Alexander, at his return to Persia, remedies the disorders which had been introduced in his absence. He had the misfortune to lose his dearest favourite Héphæstion. He forms new schemes of conquest, when he is surprised by death at Babylon in the 33d year of his age. He is supposed to have been poisoned, by Cassander, the son of Antipater.

Quum Nearchum excepisset convivio jamque cubitum iturus esset, Medii Larissæi ob-

nixis precibus dedit, ut ad eum commessatum veniret ; ubi postquàm totâ nocte perpotasset, malè habere cœpit : ingravescens deindè morbus adeò omnes vires intra sextum diem exhausit, ut ne vocis quidem potestas esset. Intereà milites, sollicitudine desiderioque ejus anxii, quanquàm obtestantibus ducibus ne valetudinem regis onerarent, expresserunt ut in conspectum ejus admitterentur.

Intuentibus lacrymæ obortæ præbuêre speciem, jam non regem, sed funus ejus visentis exercitûs ; mæror tamen circumstantium lectum eminebat : quos ut rex aspexit, Invenietis, inquit, quum excessero, dignum talibus viris regem? Incredibile dictu audituque, in eodem habitu corporis in quem se composuerat quum admissurus milites esset durasse, donec à toto exercitu illo ad ultimum persalutatus est ; dimissoque vulgo, velut omni vitæ debito liberatus, fatigata membra rejecit. Propiùsque adire jussis amicis, nam et vox deficere jam cæperat, detractum annulum digito Perdiccæ tradidit, adjectis mandatis ut corpus suum ad Hammonem ferri juberet. Quærentibus his cui relinqueret regnum respondit, ei qui esset optimus ; cæterùm, providere jam, ob id certamen, magnos funebres ludos parari sibi.— Rursùs Perdiccâ interrogante quando cælestes honores haberi sibi vellet, dixit, tùm velle quùm ipsi felices essent. Suprema hæc vox fuit regis, et paulò post extinguitur. Ac primò, plo-

ratu lamentisque et planctibus tota regia personabat; mox, velut in vastâ solitudine, omnia tristi silentio muta torpebant, ad cogitationes quid deindè futurum esset dolore converso. Nobiles pueri custodiæ corporis ejus assueti, nec doloris magnitudinem capere, nec se ipsos intra vestibulum regiæ retinere potuerunt; vagique et furentibus similes, totam urbem luctu ac mærore compleverant, nullis quæstibus omissis quos in tali casu dolor suggerit.

Ergò qui extra regiam astiterant, Macedones pariter barbarique, concurrunt; nec poterant victi à victoribus in communi dolore discerni: Persæ, justissimum ac mitissimum dominum, Macedones, optimum ac fortissimum regem invocantes, certamen quoddam mæroris edebant. Nec mæstorum solùm, sed etiam indignantium voces exaudiebantur, tam viridem et in flore ætatis fortunæque, invidiâ deûm ereptum esse rebus humanis. Vigor ejus et vultus educentis in prælium milites, obsidentis urbes, evadentis in muros, fortes viros pro concione donantis, occurrebant oculis. Tum Macedones divinos honores negâsse ei pœnitebat, impiosque et ingratos fuisse se confitebantur quòd aures ejus debitâ appellatione fraudassent. Et quùm diù, nunc in veneratione, nunc in desiderio regis hæsissent; in ipsos versa miseratio est. Macedoniâ profecti, ultra Euphraten, mediis hostibus novum imperium aspernantibus, destitutos se esse cerne-

bant; sine certo regis hærede, sine hærede regni, publicas vires ad se quemque tracturum: bella deindè civilia, quæ sequuta sunt, mentibus augurabantur; iterùm non de regno Asiæ, sed de rege, ipsis sanguinem esse fundendum; novis vulneribus veteres rumpendas cicatrices; senes, debiles, modò petitâ missione à justo rege, nunc morituros pro potentiâ forsitan satellitis alicujus ignobilis.

Has cogitationes volventibus, nox supervenit terroremque auxit. Milites in armis vigilabant; Babylonii, alius é muris, alius culmine suî quisque tecti, prospectabant, quasi certiora visuri: nec quisquam lumina audebat accendere; et quia oculorum cessabat usus, fremitus vocesque auribus captabant; ac plerumque vano metu territi, per obscuras semitas alius alii occursantes, invicem suspecti et solliciti, ferebantur. Persæ, comis suo more detonsis, in lugubri veste, cum conjugibus ac liberis, non ut victorem et modò hostem, sed ut gentis suæ justissimum regem vero desiderio lugebant. Assueti sub rege vivere, non alium qui imperaret ipsis digniorem fuisse confitebantur. Nec muris urbis luctus continebatur; sed proximam regionem ab eâ, deindè magnam partem Asiæ cis Euphraten, tanti mali fama pervaserat. Ad Darii quoque matrem celeriter perlata est: abscissâ ergo veste quâ induta erat, lugubrem sumpsit, laceratisque crinibus humi corpus abjecit. Assidebat

ei altera ex neptibus, nuper amissum Hephæstionem, cui nupserat, lugens; propriasque causas doloris in communi mæstitiâ retractabat. Sed omnium suorum mala Sisygambis una capiebat. Illa suam, illa neptium vicem flebat: recens dolor etiam præterita revocaverat: crederes modo amissum Darium, et pariter miseræ duorum filiorum exequias esse ducendas. Flebat mortuos simul vivosque: quem enim puellarum acturam esse curam? quem alium futurum Alexandrum? iterùm se captas, iterùm excidisse regno; qui mortuo Dario ipsas tueretur reperisse, qui post Alexandrum respiceret utique non reperturas. Subibat inter hæc animum, octoginta fratres suos eodem die ab Ocho, sævissimo regum, trucidatos, adjectumque stragi tot filiorum patrem: é septem liberis quos genuisset ipsa unum superesse; ipsum Darium floruisse paulisper, ut crudeliùs posset extingui. Ad ultimum dolori succumbit; obvolutoque capite, accidentes genibus suis neptem nepotemque aversata, cibo pariter abstinuit et luce, quinto postquàm mori statuerat die extincta. Magnum profectò, Alexandro indulgentiæ in eam justitiæque in omnes captivos documentum est mors hujus; quæ, quùm sustinuisset post Darium vivere, Alexandro esse superstes erubuit.

Et, Herculè! justè æstimantibus regem liquet, bona naturæ ejus fuisse, vitia vel fortunæ vel ætatis. Vis incredibilis animi; laboris

patientia propemodùm nimia; fortitudo non inter reges modò excellens, sed inter illos quoque quorum hæc sola virtus fuit; liberalitas sæpè majora tribuentis quàm à diis petuntur; clementia in devictos; tot regna, aut reddita quibus ea dempserat bello, aut dono data; mortis, cujus metus cæteros exanimat, perpetua contemptio; gloriæ laudisque ut justo major cupido, ità ut juveni et in tantis admittenda rebus; jam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati consecrare decreverat, Philippum ultus erat; jam in omnes ferè amicos benignitas, erga milites benevolentia; consilium par magnitudini animi, et quantam vix poterat ætas ejus capere solertia: modus immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale desiderium usus, nec ulla nisi ex permisso voluptas: ingentes profectò dotes erant. Illa fortunæ, diis æquare se, et cælestes honores accersere, et talia suadentibus oraculis credere, et dedignantibus venerari ipsum vehementiùs quàm par esset irasci; in externum habitum mutare corporis cultum, imitari devictarum gentium mores quas antè victoriam spreverat: nam iracundiam et cupidinem vini sicuti juventa irritaverat, ità senectus mitigare potuisset. Fatendum est tamen, quùm plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit: quoties illum à morte revocavit? quoties temerè in pericula vectum perpetuâ

felicitate protexit? vitæ quoque finem eumdem illi quem gloriæ statuit; expectavêre eum fata, dùm, Oriente perdomito aditoque Oceano, quidquid mortalitas capiebat impleret. Huic regi ducique successor quærebatur; sed major moles erat quam ut unus subire eam posset: itaque nomen quoque ejus et fama rerum in totum propemodùm orbem reges ac regna diffudit; clarissimique sunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæserunt.

THE CONCLUSION.

AFTER the death of Alexander, his generals divide against one another, not considering that each should take his portion of the spoil. Alexander did not designate any successor; he left a son under age, a wife in pregnancy, and a natural brother of a feeble and timid character, all of whom, even to Olympias his mother, were exterminated. In short, after twenty-three years bloody wars, the empire of Alexander was divided into four great monarchies, to wit, Egypt, Macedonia, Syria and Thrace, which last was soon after subdivided into several little states.

In the space of about two hundred and fifty years these states were successively ruined by a power whom Greece and Asia were then far from fearing and they became at last nothing more than mere provinces of the Roman Republic.

That part of Syria which lay beyond the Euphrates was the only region which did not suffer the general invasion. It forms a separate kingdom under the name of Parthia.

NARRATIONS

FROM

ROMAN HISTORY.

NARRATION I.

The rape of the Sabine virgins in the first year of Rome.

(Rom. Hist. Titus L. book 1.)

ROMULUS, at the head of a troop of freebooters lays the foundation of Rome, A. C. 753, and to secure more numerous population he opens an asylum for fugitives, slaves, and even malefactors.

The city at its birth contained three thousand citizens, to whom she soon bestowed a regular government. Romulus was designated by the title of king. A council called a Senate prepared the laws, and the people when assembled admitted or rejected them.

But Rome promised but a short duration for want of women. Read now the stratagem used by Romulus to procure them.

Jam res Romana adeò erat valida, ut cuilibet finitimarum civitatum bello par esset; sed penuriâ mulierum, hominis ætatem duratura

magnitudo erat. Quippè quibus nec domi spes prolis, nec cum finitimis connubia essent. Tum ex consilio patrum Romulus legatos circà vicinas gentes misit, qui societatem, connubiumque novo populo peterent. Urbes quoque, ut cætera, ex infimo nasci: deindè quas sua virtus ac Dii juvent, magnas opes sibi, magnumque nomen facere. Satis scire, origini romanæ et Deos affuisse et non defuturam virtutem. Proindè ne gravarentur homines cum hominibus sanguinem et genus miscere. Nusquàm benignè legatio audita est: adeò simul spernebant, simul tantam in medio crescentem molem sibi ac posteris suis metuebant. A plerisque rogitantibus, dimissi, Ecquod feminis quoque asylum aperuissent? id enim demùm compar connubium fore. Ægrè id Romana pubes passa, et haud dubiè ad vim spectare res cæpit. Cui tempus locumque aptum ut daret Romulus, ægritudinem animi dissimulans, ludos ex industriâ parat Neptuno Equestri solemnes: Consualia vocat. Indici deindè finitimis spectaculum jubet: quantoque apparatu tum sciebant aut poterant, concelebrant; ut rem claram expectatamque facerent. Multi mortales convenêre, studio etiam videndæ novæ urbis; maximè proximi quique, Cæninenses,[1] Crustimini, Antemnates. Jam Sabino-

[1] *Cæninenses, Crustimini, Antemnates,* now called Sabine, a little province in the Papal State, to the north of Rome.

rum omnis multitudo, cum liberis ac conjugibus venit. Invitati hospitaliter per domos, quùm situm mæniaque et frequentem tectis urbem vidissent, mirantur tam brevi rem romanam crevisse. Ubi spectaculi tempus venit, deditæque eò mentes cum oculis erant, tum ex composito orta vis: signoque dato, juventus romana ad rapiendas virgines discurrit. Magna pars fortè, ut in quem quæque inciderat, raptæ; quasdam formâ excellente primoribus Patrum destinatas ex plebe homines, quibus datum negotium erat, domos deferebant. Unam longè antè alias specie ac pulchritudine insignem à globo Talassii cujusdam raptam ferunt: multisque sciscitantibus, cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Talassio ferri clamitatum, indè nuptialem hanc vocem factam. Turbato per metum ludicro, mæsti parentes virginum profugiunt, incusantes violati hospitii fædus, Deumque invocantes, cujus ad solemne ludosque, per fas ac fidem decepti, venissent. Nec raptis aut spes de se melior, aut indignatio minor: sed ipse Romulus circuibat, docebatque, Patrum id superbiâ factum, qui connubium finitimis negassent: illas tamen in matrimonio, in societate fortunarum omnium civitatisque, et quo nihil carius humano generi sit, liberum fore. Mollirent modò iras; et quibus fors corpora dedisset, darent animos. Sæpè

ex injuriâ postmodùm gratiam ortam : eòque melioribus usuras viris, quod annixurus pro se quisque sit, ut quùm suam vicem functus officio sit, parentum etiam, patriæque expleat desiderium. Antecedebant blanditiæ virorum factum purgantium, cupiditate atque amore : quæ maxime ad muliebre ingenium efficaces preces sunt.

NARRATION II.

(Rom. Hist. Titus L. book 1.)

This act of violence was the signal for a war, by which each would have been exterminated. In the midst of their carnage they become reconciled.

Principes utrimque pugnam ciebant ; ab Sabinis Mettius Curtius, ab Romanis Hostus Hostilius. Hic rem romanam iniquo loco ad prima signa animo atque audaciâ sustinebat. Ut Hostus cecidit, confestìm romana inclinatur acies : fusaque est ad veterem portam Palatii. Romulus et ipse turbâ fugientium actus, arma ad cælum tollens : Jupiter, tuis, inquit, jussus avibus hìc in Palatino prima urbi fundamenta jeci. Arcem jam scelere emptam Sabini habent. Indè hùc armati superatâ mediâ valle tendunt. At tu, pater Deûm hominumque, hinc saltem arce hostes : deme terrorem Romanis, fugamque fædam siste. Hic ego tibi templum Statori Jovi, quod monu-

mentum sit posteris, tuâ præsenti ope servatam urbem esse, voveo. Hæc precatus, veluti sensisset auditas preces, Hinc, inquit, Romani, Jupiter optimus maximus resistere atque iterare pugnam jubet. Restitêre Romani, tanquàm cælesti voce jussi. Ipse ad primores Romulus provolat. Mettius Curtius ab Sabinis princeps ab arce decucurrerat, et effusos egerat Romanos, toto quantum foro spatium est. Nec procul jam a portâ Palatii erat, clamitans: Vicimus perfidos hospites, imbelles hostes. Jam sciunt longè aliud esse virgines rapere, aliud pugnare cum viris. In eum hæc gloriantem cum globo ferocissimorum juvenum Romulus impetum facit. Ex equo tum forte Mettius pugnabat: eo pelli facilius fuit: pulsum Romani persequuntur. Et alia romana acies audaciâ regis accensa, fundit Sabinos. Mettius in paludem sese, strepitu sequentium trepidante equo, conjecit: adverteratque ea res etiam Sabinos, tanti periculo viri. Et ille quidem annuentibus ac vocantibus suis, favore multorum addito animo, evadit. Romani, Sabinique in mediâ convalle duorum montium redintegrant prælium; sed res Romana erat superior.

Tum Sabinæ mulieres, quarum ex injuriâ bellum ortum erat, crinibus passis, scissâque veste, victo malis muliebri pavore, ausæ se inter tela volantia inferre: ex transverso impetu facto, dirimere infestas acies, dirimere iras:

hinc patres, hinc viros orantes: Ne se sanguine nefando soceri generique respergerent: ne parricidio macularent partus suos, nepotum illi, liberûm hi progeniem. Si affinitatis inter vos, si connubii piget, in nos vertite iras: nos causa belli, nos vulnerum ac cædium viris ac parentibus sumus. Meliùs peribimus, quàm sine alteris vestrûm viduæ, aut orbæ vivemus. Movet res tum multitudinem, tum duces. Silentium et repentina fit quies. Indè ad fœdus faciendum duces prodeunt: nec pacem modò, sed et civitatem unam ex duabus faciunt, regnum consociant, imperium omne conferunt Romam. Ita geminatâ urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites à Curibus appellati. Monumentum ejus pugnæ, ubi primum ex profunda emersus palude equus Curtium in vado statuit, Curtium lacum appellârunt. Ex bello tam tristi læta repentè pax, cariores Sabinas viris ac parentibus, et antè omnes Romulo ipsi fecit.

NARRATION III.

The battle of the Horatii and the Curiatii, year of Rome 85, *and A. C.* 667.

(Rom. Hist. Titus L. book 1.)

Romulus, after reigning thirty-seven years, suddenly disappears in the raging of a tempest whilst he is reviewing his army. The Senators, to whose

jealousy he was no doubt the victim, persuaded the people that he had ascended into Heaven and was to be considered as one of the gods. After an interregnum of a year, the kingdom is given to Numa Pompilius who fills the throne forty-two years. Numa, as careful to preserve peace as Romulus was to excite war, takes every means to moderate the ferocious character of the Romans; he built temples, among which is that of Janus, which was to be shut during peace and only opened during war. He institutes festivals, and religious observances, and he supports justice and encourages agriculture.

Tullus Hostilius who succeeds him revives the military spirit. Alba and Rome dispute for the ascendancy. They declare war. When near to encounter the Alban general proposes to decide the dispute by single combat. The Romans therefore choose for their champions the three Horatii and the Albians the three Curiatii.

Consederant utrinque pro castris duo exercitus, periculi magis præsentis, quàm curæ expertes. Quippè imperium agebatur, in tàm paucorum virtute, atque fortunâ positum. Itaque ergò erecti suspensique in minimè gratum spectaculum animo intenduntur. Datur signum; infestisque armis, velut acies, terni juvenes magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt: nec his nec illis periculum suum; publicum imperium, servitiumque obversatur animo, futuraque ea deindè patriæ fortuna, quam ipsi fecissent. Ut primo statim concursu increpuêre arma, micantesque ful

sêre gladii, horror ingens spectantes perstringit: et neutrò inclinatâ spe, torpebat vox spiritusque. Consertis deindè manibus, quùm jam non motus tantùm corporum, agitatioque anceps telorum armorumque, sed vulnera quoque et sanguis spectaculo essent; duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt. Ad quorum casum quùm conclamasset gaudio Albanus exercitus, romanas legiones jam spes tota, nondùm tamen cura deseruerat, examines vice unius, quem tres Curiatii circumsteterant. Fortè is integer fuit, ut universis solus nequaquàm par, sic adversùs singulos ferox. Ergò, ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam, ità ratus secuturos, ut quemque vulnere affectum corpus sineret. Jam aliquantùm spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, quùm respiciens videt magnis intervallis sequentes: unum haud procul ab sese abesse; in eum magno impetu redit. Et dùm Albanus exercitus inclamat Curiatiis, ut opem ferant fratri, jam Horatius cæso hoste victor secundam pugnam petebat. Tum clamore, qualis ex insperato faventium solet, Romani adjuvant militem suum: et ille defungi prælio festinat. Priùs itaquè quàm alter, qui nec procul aberat, consequi posset, et alterum Curiatium conficit. Jamque æquato Marte singuli supererant, sed nec spe, nec viribus pares. Alterum intactum ferro corpus et geminata victoria ferocem in

certamen tertium dabant: alter fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus, victusque fratrum antè se strage, victori objicitur hosti; nec illud prælium fuit. Romanus exsultans, Duos, inquit, fratrum Manibus dedi: tertium, causæ belli hujusce, ut Romanus Albano imperet, dabo. Malè sustinenti arma, gladium supernè jugulo defigit: jacentem spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt: eò majore cum gaudio, quò propè metum res fuerat. Ad sepulturam indè suorum nequaquàm paribus animis vertuntur, quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti. Sepulcra extant, quo quisque loco cecidit; duo romana uno loco propiùs Albam, tria albana Romam versùs; sed distantia locis, ut et pugnatum est.

NARRATION IV.

Horatius kills his sister.

(Rom. Hist. Titus L. book 1.)

Princeps Horatius ibat, tergemina spolia præ se gerens: cui soror virgo, quæ desponsa uni ex Curiatiis fuerat, obvia antè portam Capenam fuit: cognitoque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines, et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Movet feroci juveni animum

comploratio sororis, in victoriâ suâ, tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio, simul verbis increpans, transfigit puellam. Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum, inquit, oblita fratrum mortuorum vivique, oblita patriæ. Sic eat, quæcumque Romana lugebit hostem. Atrox visum id facinus Patribus plebique : sed recens meritum facto obstabat. Tamen raptus in jus ad regem. Rex, ne ipse tam tristis ingratique ad vulgus judicii, aut, secundùm judicium, supplicii auctor esset ; concilio populi advocato, Duumviros, inquit, qui Horatio perduellionem judicent secundùm legem, facio. Lex horrendi carminis erat. Duumviri perduellionem judicent. Si à Duumviris provocarit, provocatione certato : si vincent, caput obnubito : infelici arbori reste suspendito.— Verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. Hâc lege Duumviri creati, qui se absolvere non rebantur eâ lege ne innoxium quidem posse, quùm condemnassent, tum alter ex his, P. Horati, tibi perduellionem judico, inquit, I, lictor, colliga manus. Accesserat lictor, injiciebatque laqueum. Tum Horatius, auctore Tullo, clemente legis interprete, Provoco, inquit. Ità de provocatione certatum ad populum est. Moti homines sunt in eo judicio, maximè P. Horatio patre proclamante, se filiam jure cœsam judicare ; ni ità esset, patrio jure in filium animadversurum fuisse. Orabat deindè, ne se, quem paulò, antè cum egregiâ

stirpe conspexissent, orbum liberis facerent. Inter hæc senex, juvenem amplexus, spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc Pila Horatia appellatur, ostentans, Hunccine, aiebat, quem modò decoratum, ovantemque victoriâ incedentem vidistis, Quirites, eum sub furcâ vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. I, lictor, colliga manus, quæ paulò antè armatæ imperium Populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis hujus. Arbori infelici suspende; verbera vel intra pomærium, modò inter illa pila, et spolia hostium: vel extra pomærium, modò inter sepulcra Curiatiorum. Quò enim ducere hunc juvenem potestis, ubi non sua decora eum à tantâ fœditate supplicii vindicent? Non tulit populus nec patris lacrymas, nec ipsius parem in omni periculo animum: absolveruntque admiratione magis virtutis quam jure caussæ.

NARRATION V.

Ruin of Alba.

(Rom. Hist. Titus L. book 1.)

The victory of the Horatii having subjected the Albans to the Romans, Tullus is content to exact from them barely an obligation to assist him against the Veians, in case of their commencing a war.

Mettius, the Alban general, feels impatient under Roman controul, and stimulates, in a secret manner, the neighbouring people to arm against it. Tullus, at this time, orders Mettius to come to his assistance with his army. When the battle begins, Mettius, instead of aiding, remains a silent spectator. Tullus, notwithstanding this treason, becomes the victor, and indignant at the perfidy of Mettius, destroys the city of Alba, and transports its inhabitants to Rome.

Jam præmissi Albam erant equites, qui multitudinem traducerent Romam. Legiones deindè ductæ ad diruendam urbem : quæ ubi intravêre portas, non quidem fuit tumultus ille, nec pavor, qualis captarum esse urbium solet, quùm effractis portis, stratisve ariete muris, aut arce vi captâ, clamor hostilis, et cursus per urbem armatorum omnia ferro flammâque miscet : sed silentium triste ac tacita mœstitia ità defixit omnium animos, ut præ metu obliti quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantesque alii alios, nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas,

ultimùm illas visuri, pervagarentur. Ut verò jam equitum clamor exire jubentium instabat, jam fragor tectorum quæ diruebantur ultimis urbis partibus audiebatur; pulvisque ex distantibus locis ortus, velut nube inductâ omnia impleverat; raptim quibus quisque poterat elatis, quùm larem et penates, tectaque in quibus natus quisque, educatusque esset, relinquentes exirent: jam continens agmen migrantium impleverat vias: et conspectus aliorum mutuâ miseratione integrabat lacrymas, vocesque etiam miserabiles exaudiebantur: mulierum præcipuè quùm obsessa ab armatis templa augusta præterirent, ac velut captos relinquerent Deos. Egressis urbem Albanis, Romanus passìm publica privataque omnia tecta adæquat solo, unaque hora quadringentorum annorum opus quibus Alba steterat, excidio ac ruinis dedit. Templis tamen Deûm (ita enim edictum ab rege fuerat) temperatum est.

NARRATION VI.

The death of Lucretia, year of Rome 244, *and A. C.* 509.

(Rom. Hist. Titus L. book 1.)

After the death of Tullus Hostilius, Ancus the grandson of Numa, is called to the throne. He unites the virtues of his grandfather to the courage

of Romulus, and gives the first ideas of commerce and navigation by constructing the port of Ostia.

Tarquin the elder, who succeeds him, glories in embellishing Rome, and is assassinated by the sons of Ancus, who hope to ascend the throne of their father; but they do not reap the fruit of their crime: the choice of the people and of the senate falls upon Servius. He, after having given Rome a new constitution is about to retire, when he is assassinated by his own people.

Tarquin the proud, brought to the throne by a Parricide, rules with tyrannic sway. The nobles, the rich, and the most virtuous are alike the victims of his cruelty. The outrage of his son, upon the chaste Lucretia, causes, at last, the public indignation, and Rome breaks in pieces her odious fetters.

Regii juvenes interdùm otium conviviis comessationibusque inter se terebant. Fortè potantibus his apud Sextum Tarquinium, ubi et Collatinus cœnabat Tarquinius, Egerii filius, incidit de uxoribus mentio: suam quisque laudare miris modis. Indè certamine accenso, Collatinus negat verbis opus esse, paucis id quidem horis posse sciri, quantùm cæteris præstet Lucretia sua. Quin, si vigor juventæ inest, conscendimus equos, invisimusque præsentes nostrarum ingenia? Id cuique spectatissimum sit quod nec opinato viri adventu occurrerit oculis. Incaluerant vino; age sanè, omnes citatis equis advolant Romam. Quò quùm, primis se intendentibus tenebris, pervènissent, pergunt indè Collatiam: ubi Lu-

cretiam, haudquaquàm ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum æqualibus viderant tempus terentes, sed nocte serâ deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inveniunt. Muliebris certaminis laus penès Lucretiam fuit. Adveniens vir Tarquiniique excepti benignè; victor maritus comiter invitat regios juvenes. Ibi Sextum Tarquinium mala libido Lucretiæ per vim stuprandæ capit; tum forma, tum spectata castitas incitat. Et tum quidem ab nocturno juvenili ludo, in castra redeunt.

Paucis interjectis diebus, Sextus Tarquinius, inscio Collatino, cum comite uno Collatiam venit, ubi exceptus benignè ab ignaris consilii, quùm post cænam in hospitale cubiculum deductus esset; amore ardens, postquàm satis omnia tuta circà, sopitique omnes videbantur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam venit, sinistrâque manu mulieris pectore oppresso, Tace Lucretia, inquit, Sextus Tarquinius sum, ferrum in manu est: moriere, si emiseris vocem. Quùm pavida è somno mulier, nullam opem, propè mortem imminentem videret; tum Tarquinius fateri amorem, orare, miscere precibus minas, versare in omnes partes muliebrem animum. Ubi obstinatam videbat, et ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus, cum mortuâ jugulatum servum nudum positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. Quo terrore quùm vicisset

obstinatam pudicitiam velut victrix libido, profectusque indè Tarquinius ferox, expugnato decore muliebri, esset; Lucretia, mœsta tanto malo, nuncium Romam eumdem ad patrem, Ardeamque ad virum mittit, ut cum singulis fidelibus amicis veniant: ità facto, maturatoque opus esse: rem atrocem incidisse. Sp. Lucretius cum P. Valerio Volesi filio, Collatinus cum L. Junio Bruto venit; cum quo Romam fortè rediens, ab nuncio uxoris erat conventus. Lucretiam sedentem mœstam in cubiculo inveniunt. Adventu suorum lacrymæ obortæ, quærentique viro, Satin, salvæ? minimè, inquit, quid enim salvi est mulieri amissâ pudicitiâ? Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo. Cœterum corpus est tantùm violatum, animus insons, mors testis erit. Sed date dextras fidemque, haud impunè adultero fore. Sextus est Tarquinius, qui hostis pro hospite priore nocte vi armatus mihi sibique, si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium. Dant ordine omnes fidem: consolantur ægram animi, avertendo noxam ab coactâ in auctorem delicti; mentem peccare, non corpus: et undè consilium abfuerit, culpam abesse. Vos, inquit, videritis quid illi debeatur: ego me, et si peccato absolvo, supplicio non libero, nec ulla deindè impudica Lucretiæ exemplo vivet. Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit, prolapsaque in vulnus, moribunda cecidit. Conclamant vir, paterque.

Brutus, illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum manantem cruore præ se tenens, Per hunc, inquit, castissimum antè regiam injuriam sanguinem juro, vosque Dii, testes facio, me L. Tarquinium Superbum, cum sceleratâ conjuge, et omni liberorum stirpe, ferro, igni, quâcumque dehinc vi possim, exsecuturum; nec illos, nec alium quemquam regnare Romæ passurum. Cultrum deindè Collatino tradit; indè Lucretio ac Valerio, stupentibus miraculo rei, undè novum in Bruti pectore ingenium. Ut præceptum erat, jurant: totique ab luctu versi in iram, Brutum jam indè ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem. Elatum domo Lucretiæ corpus, in forum deferunt, concientque miraculo, ut fit, rei novæ atque indignitate homines; pro se quisque scelus regium ac vim queruntur. Movet tum patris mœstitia, tum Brutus, castigator lacrymarum atque inertium querelarum, auctorque, quod viros, quod Romanos deceret, arma capiendi adversùs hostilia ausos. Ferocissimus quisque juvenum cum armis voluntarius adest; sequitur et cætera juventus. Indè pari præsidio relicto Collatiæ ad portas, custodibusque datis, ne quis eum motum regibus nunciaret: cæteri armati, duce Bruto, Romam profecti. Ubi eò ventum est, quacumque incedit armata multitudo, pavorem ac tumultum facit; rursùs ubi anteire primores civitatis vident,

quicquid fit, haud temerè esse rentur. Nec minorem motum animorum Romæ tam atrox res facit, quàm Collatiæ fecerat. Ergò ex omnibus locis urbis in forum curritur. Quò simul ventum est præco ad Tribunum Celerum, in quo tum magistratu fortè Brutus erat, populum advocavit. Ubi oratio habita, nequaquàm ejus pectoris ingeniique, quod simulatum ad eam diem fuerat, de vi ac libidine Sexti Tarquinii, de stupro infando Lucretiæ et miserabili cæde, de orbitate Tricipitini, cui morte filiæ causa mortis indignior ac miserabilior esset. Addita superbia ipsius regis, miseriæque et labores plebis in fossas, cloacasque exhauriendas demersæ. Romanos homines victores omnium circa populorum opifices ac lapicidas pro bellatoribus factos. Indigna Servii Tullii regis memorata cædes, et invecta corpori patris nefando vehiculo filia: invocatique ultores parentum Dii. His atrocioribusque, credo, aliis, quæ præsens rerum indignitas haudquaquàm relatu scriptoribus facilia subjicit, memoratis, incensam multitudinem perpulit, ut imperium regi abrogaret, exsulesque esse juberet L. Tarquinium cum conjuge ac liberis. Ipse junioribus qui ultrò nomina dabant, lectis armatisque, ad concitandum indè adversùs regem exercitum, Ardeam in castra est profectus; imperium in urbe Lucretio, præfecto urbis jam ante ab rege instituto, relinquit. Inter hunc tumultum,

Tullia domo profugit: execrantibus quacumque incedebat, invocantibusque parentum furias viris, mulieribusque.

NARRATION VII.

The conspiracy detected and punished.

(Rom. Hist. Titus L. book 2.)

Scarce has Rome established its consular government, than it is intended to be overturned—Some young men of the first rank, and the sons even of Brutus, being seduced by the emissaries of Tarquin, form a project to restore the monarchy. When liberty is about to expire, it is preserved by a slave.

Erant in Romanâ juventute adolescentes aliquot, nec ii tenui loco orti, quorum in regno libido solutior fuerat, æquales sodalesque adolescentium Tarquiniorum; assueti more regio vivere. Eam tum, æquato jure omnium, licentiam quærentes, libertatem aliorum in suam vertisse servitutem inter se conquerebantur. Regem hominem esse, à quo impetres, ubi jus, ubi injuria opus sit: esse gratiæ locum, esse beneficio, et irasci et ignoscere posse: inter amicum atque inimicum discrimen nosse: Leges, rem surdam, inexorabi-

iem esse : salubriorem, melioremque inopi quam potenti : nihil laxamenti nec veniæ habere, si modum excesseris. Periculosum esse, in tot humanis erroribus, solâ innocentiâ vivere. Ita, jam suâ sponte ægris animis, legati ab regibus superveniunt, sine mentione reditûs, bona tantùm repetentes. Eorum verba postquàm in senatu audita sunt, per aliquot dies ea consultatio tenuit : ne non reddita, belli caussa ; reddita, belli materia et adjumentum essent. Interim legati alii alia moliri, apertè bona repetentes, clàm recuperandi regni consilia struere. Et, tanquàm ad id quod agi videbatur, ambientes nobilium adolescentium animos pertentant. A quibus placidè oratio accepta est, his litteras ab Tarquiniis reddunt : et de accipiendis clàm nocte in urbem regibus colloquuntur.

Vitelliis, Aquilliisque fratribus primò commissa res est. Vitelliorum soror consuli nupta Bruto erat ; jamque ex eo matrimonio adolescentes erant liberi Titus, Tiberiusque : eos quoque in societatem consilii avunculi assumunt, prætereà et nobiles aliquot adolescentes conscii assumpti, quorum vetustate memoria abiit. Interim quùm in senatu vicisset sententia quæ censebat reddenda bona; eamque ipsam causam moræ in urbe haberent legati, quod spatium ad vehicula comparanda à consulibus sumpsissent, quibus regum asportarent res ; omne id tempus cum conjuratis con-

sultando absumunt : evincuntque instando, ut litteræ sibi ad Tarquinios darentur : nam aliter qui crediturus eos, non vana ab legatis super rebus tantis afferri? Datæ litteræ, ut pignus fidei essent, manifestum facinus fecerunt ; nam quùm, pridiè quàm legati ad Tarquinios proficiscerentur, et cœnatum fortè apud Vitellios esset, conjuratique ibi, remotis arbitris, multa inter se, de novo,ut fit, consilio egissent ; sermonem eorum ex servis unus excepit, qui jam anteà id senserat agi : sed eam occasionem, ut litteræ legatis darentur, quæ deprehensæ rem coarguere possent, exspectabat. Postquàm datas sensit, rem ad consules detulit.

Consules ad deprehendendos legatos, conjuratosque profecti domo, sine tumultu rem omnem oppressêre : litterarum in primis habita cura, ne intercidérent. Proditoribus extemplo in vincula conjectis, de legatis paululùm addubitatum est : et quanquàm visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit.

De bonis regiis, quæ reddi antè censuerant, res integra refertur ad Patres. Illi victi irâ vetuêre reddi, vetuêre in publicum redigi. Diripienda plebi sunt data ; ut contacta regiæ prædâ spem in perpetuum cum his pacis amitteret. Ager Tarquiniorum, qui inter urbem ac Tiberim fuit consecratus Marti, Martius deindè campus fuit. Fortè ibi tum

seges farris dicitur fuisse matura messi. Quem campi fructum quia religiosum erat consumere, desectam cum stramento segetem magna vis hominum simul immissa corbibus fudêre in Tiberim, tenui fluentem aquâ, ut mediis caloribus solet. Ita in vadis hæsitantis frumenti acervos sedisse illitos limo. Insulam indè paulatim, et aliis, quæ fert temerè flumen, eòdem invectis, factam. Posteà credo additas moles, manuque adjutum, ut jam eminens area, firma templis quoque ac porticibus sustinendis esset. Direptis bonis regum, damnati proditores, sumptumque supplicium. Conspectiùs eò, quòd pœnæ capiendæ ministerium patri de liberis consulatus imposuit: et qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit. Stabant deligati ad palum nobilissimi juvenes. Sed à cæteris, velut ab ignotis capitibus, consulis liberi omnium in se averterant oculos, miserebatque non pœnæ magis homines quàm sceleris quo pœnam meriti essent: illos, eo potissimùm anno, patriam liberatam, patrem liberatorem, consulatum ortum ex domo Juniâ, patres, plebem, quicquid Deorum hominumque Romanorum esset; induxisse in animum ut superbo quondam regi, tum infesto exsuli proderent. Consules in sedem processêre suam, missisque lictores ad sumendum supplicium nudatos virgis cædunt, securique feriunt: quùm inter omne tempus pater vultusque et os ejus, spec-

taculo esset; eminente animo patrio inter publicæ pœnæ ministerium. Secundùm pœnam nocentium, ut in utramque partem arcendis sceleribus exemplum nobile esset, præmium indici pecunia ex ærario, libertas et civitas data. Ille primum dicitur vindictâ liberatus. Quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant: Vindicio ipsi nomen fuisse. Post illum observatum, ut qui ita liberati essent, in civitatem accepti viderentur.

NARRATION VIII.

Battle of Brutus and Aruns.

(Rom. Hist. Titus L. book 2.)

Tarquin, having lost all hope of re-entering Rome by intrigue, bethinks himself how he shall do it by force. He implores the aid of the Veii and Tarquinia, where he was born.

From these two he obtains an army and marches against Rome.

Brutus, on his part, advances at the head of the Republicans—Aruns, the son of Tarquin, seeing the Consul, and rushing furiously upon him, both fall, each giving the other a mortal stroke.

His, sicut acta erant, nuntiatis, incensus Tarquinius non dolore solùm tantæ ad irritum

cadentis spei, sed etiam odio, irâque, postquàm dolo viam obseptam vidit, bellum aperte moliendum ratus : circumire supplex Etruriæ urbes; orare maximè Veientes Tarquiniensesque, ne se ortum ejusdem sanguinis, extorrem, egentem, ex tanto modò regno cum liberis adolescentibus antè oculos suos perire sinerent. Alios peregrè in regnum Romam accitos : se regem augentem bello Rom. imperium, à proximis sceleratâ conjuratione pulsum. Eos inter se, quià nemo unus satis dignus regno visus sit, partes regni rapuisse, bona sua diripienda populo dedisse, ne quis expers sceleris esset. Patriam se regnumque suum repetere, et persequi ingratos cives velle. Ferrent opem, adjuvarent, suas quoque veteres injurias ultum irent, toties cæsas legiones, agrum ademptum. Hæc moverunt Veientes, ac pro se quisque, Romano saltem duce, ignominias demendas, belloque amissa repetenda, minaciter fremunt. Tarquinienses nomen ac cognatio movet. Pulchrum videbatur suos Romæ regnare. Ita duo duarum civitatum exercitus, ad repetendum regnum, belloque persequendos Romanos, secuti Tarquinium. Postquàm in agrum Romanum ventum est, obviàm hosti consules eunt. Valerius, quadrato agmine, peditem ducit : Brutus ad explorandum cum equitatu antecessit. Eodem modo primus eques hostium agminis fuit. Præerat Aruns Tarquinius filius regis. Rex ipse cum legio-

nibus sequebatur. Aruns, ubi ex lictoribus procul consulem esse : deindè jam propiùs ac certiùs facie quoque Brutum cognovit, inflammatus irâ : Ille est vir, inquit, qui nos extorres expulit patriâ. Ipse, en ille nostris decoratus insignibus, magnificè incedit. Dii regum ultores adeste. Concitat calcaribus equum, atque in ipsum infestus consulem dirigit. Sensit in se iri Brutus. Decorum erat tum ipsis capessere pugnam ducibus : avide itaque se certamini offert. Adeòque infestis animis concurrerunt, neuter, dùm hostem vulneraret, sui protegendi corporis memor, ut contrario ictu per parmam uterque transfixus, duabus hærentes hastis moribundi ex equis lapsi sint. Simul et cætera equestris pugna cœpit, neque ità multò post et pedites superveniunt. Ibi variâ victoriâ, et velut æquo Marte pugnatum est. Dextera utrinque cornua vicêre ; læva superata. Veientes vinci ab Romano milite assueti, fusi fugatique sunt. Tarquiniensis novus hostis non stetit solùm, and etiam ab suâ parte Romanum pepulit.

Ità quùm pugnatum esset, tantus terror Tarquinium atque Etruscos incessit, ut omissâ irritâ re, nocte ambo exercitus, Veiens Tarquiniensisque suas quisque abirent domos.

NARRATION IX.

Horatius Cocles.

(Rom. Hist. Titus L. book 2.)

TARQUIN vanquished and abandoned by his two allies, who were engaged to replace him upon his throne, seeks refuge at the court of Porsenna King of Etruria[1]. He there represents to him that his is a cause interesting to every Prince. Porsenna therefore hastens to the gates of Rome, of which city he vainly thinks to become master at the first attack.

Quùm hostes adessent, pro se quisque in urbem, ex agris demigrant, urbem ipsam sepiunt præsidiis: alia muris, alia Tiberi[2] objecto videbantur tuta. Pons sublicius iter penè hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles: id munimentum illo die, fortuna urbis

---

[1] Etruria, makes a considerable part of Italy. Lately it was the grand-dutchy of Tuscany; but now the kingdom of Etruria—It is bounded on the north and east by the state of Rome, and on the south and west by that part of the mediterranean which is called the Sea of Tuscany.

[2] *Tiberi objecto.* The Tiber, a considerable River in Italy, takes its source in the Appenines, and watering Perouse and Rome, empties into the Mediterranean, after a course of one hundred and thirty miles.

Romanæ, habuit: qui positus fortè in statione pontis, quùm captum repentino impetu Janiculum, atque indè citatos decurrere hostes vidisset, trepidamque turbam suorum arma ordinesque relinquere, reprehensans singulos, obsistens, obtestansque Deûm et hominum fidem, testabatur; nequicquam deserto præsidio eos fugere. Si transitum pontem à tergo reliquissent, jam plus hostium in Palatio Capitolioque, quàm in Janiculo fore. Itaque monere, prædicere, ut pontem ferro, igni, quâcunque vi possent, interrumpant. Se impetum hostium, quantùm corpore uno posset obsisti, excepturum. Vadit indè in primum aditum pontis: insignisque inter conspecta cedentium pugnæ terga, obversis cominùs ad ineundum prælium armis, ipso miraculo audaciæ obstupefecit hostes; duos tamen cum eo pudor tenuit, Sp. Lartium ac T. Herminium, ambos claros genere, factisque. Cùm his primam periculi procellam, et quod tumultuosissimum pugnæ erat, parumper sustinuit; deindè eos quoque ipsos exiguâ parte pontis relictâ, revocantibus qui rescindebant, cedere in tutum coëgit. Circumferens indè truces minaciter oculos, ad proceres Etruscorum; nunc singulos provocare, nunc increpare omnes, Servitia regum superborum, suæ libertatis immemores, alienam oppugnatum venire. Cunctati aliquandiù sunt, dùm alius alium, ut prælium incipiant, circumspectant; pudor

deindè commovit aciem, et clamore sublato undiquè in unum hostem tela conjiciunt. Quæ quùm in objecto cuncta scuto hæsissent, neque ille minùs obstinatus ingenti pontem obtineret gradu ; jam impetu conabantur detrudere virum ; quùm simul fragor rupti pontis, simul clamor Romanorum alacritate perfecti operis sublatus, pavore subito impetum sustinuit. Tùm Cocles, Tiberine pater, inquit, te sancte precor, hæc arma et hunc militem propitio flumine accipias. Ita sic armatus Tiberim desiluit : multisque super incidentibus telis incolumis ad suos tranavit, rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quàm fidei. Grata ergà tantam virtutem civitas fuit : statua in comitio posita ; agri, quantùm uno die circumaravit, datum. Privata quoque, inter publicos honores, studia eminebant ; nam in magnâ inopiâ, pro domesticis copiis, unusquisque ei aliquid, fraudans se ipse victu suo, contulit.

NARRATION X.

Mucius Scævola.

(Rom. Hist. Titus L. book 2.)

Porsenna, not being able to carry Rome by assault, resolves to reduce it by famine. Its terrible ravages were such that the Romans must have sur-

rendered but for the seasonable and extraordinary prowess of Mucius Scœvola.

C. Mucius adolescens nobilis, cui indignum videbatur, populum Romanum servientem quùm sub regibus esset, nullo bello, nec ab hostibus ullis obsessum esse; liberum eumdem populum ab iisdem Etruscis obsideri, quorum sæpe exercitus fuderit: itaque magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, primò suâ sponte penetrare in hostium castra constituit: dein metuens, ne si consulum injussu et ignaris omnibus iret, fortè deprehensus à custodibus Romanis retraheretur ut transfuga, fortunâ tum urbis crimen affirmante, senatum adiit: Transire Tiberim, inquit, Patres, et intrare, si possim, castra hostium volo: non prædo, nec populationum invicem ultor. Majus, si Dii juvant, in animo est facinus. Approbant Patres: abdito intra vestem ferro, proficiscitur. Ubi eò venit, in confertissimâ turbâ propè regium tribunal constitit. Ibi quùm stipendium fortè militibus daretur, et scriba cum rege sedens pari ferè ornatu multa ageret, eum milites vulgò adirent: timens sciscitari uter Porsenna esset, ne ignorando regem semetipse aperiret quis esset, quò temerè traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat. Vadentem indè quà per trepidam turbam cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, quùm concursu ad clamorem facto, comprehensum regii satellites

retraxissent, antè tribunal regis destitutus, tum quoque inter tantas fortunæ minas, metuendus magis quàm metuens : Romanus sum, inquit, civis : C. Mucium vocant. Hostis hostem occidere volui. Nec ad mortem minùs animi est quàm fuit ad cœdem. Et facere et pati fortia, Romanum est. Nec unus in te ego hos animos gessi : longus post me ordo est idem petentium decus, proindè in hoc discrimen, si juvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo : ferrum hostemque in vestibulo habeas regiæ. Hoc tibi juventus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum prælium timueris. Uni tibi, et cum singulis, res erit. Quùm rex, simul irâ infensus, periculoque conterritus, circumdari ignes minitabundus juberet, nisi expromeret properè quas insidiarum sibi minas per ambages jaceret : En tibi, inquit, ut sentias quàm vile corpus sit iis qui magnam gloriam vident : dextramque accenso ad sacrificium foculo injicit : quam quùm velut alienato ab sensu torreret animo ; propè attonitus miraculo Rex, quùm ab sede suâ prosiluisset, amoverique ab altaribus juvenem jussisset : Tu verò abi, inquit, in te magis quàm in me hostilia ausus. Juberem macte virtute esse, si pro meâ patriâ ista virtus staret. Nunc jure belli liberum te, intactum, inviolatumque hinc dimitto. Tum Mucius, quasi remunerans meritum : Quandoquidem, inquit, est apud te virtuti honos, ut beneficio tuleris à me, quod

minis nequisti; trecenti conjuravimus principes juventutis Romanæ, ut in te hâc viâ grassaremur. Mea prima sors fuit: cœteri, ut quique ceciderit primò, quoad te opportunum fortuna dederit, suo quisque tempore aderunt.

NARRATION XI.

Revolt of the People, year of Rome 259, *and A. C.* 493.

(Rom. Hist. Titus L. book 2.)

PORSENNA having made peace, Tarquin strives by his intrigues to raise the people of Latium against the Romans. The bloody battle of Regillum fixes the fate of the Republic. After the extinction of royalty, the nobles and patricians thought themselves the rulers of the state, and govern with the greatest severity. The people borne down with misery demand the abolition of their debts. The Senator Appius, in place of moderating them excites their murmurs, to which succeeds a general sedition.

BELLUM Volscum imminebat, et civitas secum ipsa discors intestino inter Patres plebemque flagrabat odio; maximè propter nexos ob æs alienum. Fremebant, se foris pro libertate et imperio dimicantes, domi à civibus captos et oppressos esse: tutioremque in bello quàm in pace, inter hostes quàm inter cives liberta-

tem plebis esse. Invidiamque eam suâ sponte gliscentem, insignis unius calamitas accendit. Magno natu quidam, cum omnium malorum suorum insignibus, se in forum projecit. Obsita erat squalore vestis, fœdior corporis habitus, pallore ac macie perempti. Ad hoc promissa barba et capilli efferaverant speciem oris. Noscitabatur tamen in tantâ deformitate, et ordines duxisse aiebant, aliaque militiæ decora vulgò, miserantes eum, jactabant. Ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum, cicatrices adverso pectore ostentabat. Sciscitantibus undè ille habitus, undè deformitas, quùm circumfusa turba esset, propè in concionis modum; Sabino bello, ait, se militantem, quià propter populationes agri non fructu modò caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, œs alienum fecisse: id cumulatum usuris, primò se agro paterno avitoque exuisse, deindè fortunis aliis: postremò velut tabem pervenisse ad corpus. Ductum se ab creditore, non in servitium, sed in ergastulum et carnificinam esse. Indè ostentare tergum fœdum recentibus vestigiis verberum. Ad hæc visa auditaque, clamor ingens oritur. Non jam foro se tumultus continet, sed passìm totam urbem pervadit. Nexu vincti, solutique se undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem. Nullo loco deest seditionis voluntarius comes. Multis

passim agminibus per omnes vias cum clamore in forum curritur. Magno cum periculo suo, qui fortè Patrum in foro erant, in eam turbam inciderunt. Nec temperatum manibus foret: ni properè Consules, P. Servilius, et Ap. Claudius, ad comprimendam seditionem intervenissent.

NARRATION XII.

Emigration to Mons Sacer.

(Rom. His. Titus L. book 2.)

THE war against the Volsci [1] suspends the domestic dissentions, and causes the Senate to promise the People a redress of all their grievances. But the danger is no sooner passed than they forget their obligations. The People rendered indignant, resolve to forsake Rome and choose another settlement.

PLEBS in Sacrum montem secessit, trans Anienem [2] amnem, tria ab urbe millia passuum. Ibi sine ullo duce, vallo fossâque com-

---

1 The Volsci were a people of Latium, now called the Campania of Rome. Their capital was Terracina or Anaxur, upon the frontiers of the kingdom of Naples.

2 *Anienem.* The Anio, now the Teveron, is a river which descends from the Tibur or Tivoli Hills, and which flows into the Tiber below Rome.

munitis castris, quieti, rem nullam nisi necessariam ad victum sumendo, per aliquot dies neque lacessiti, neque lacessentes sese tenuêre. Pavor ingens in urbe, metuque mutuo suspensa erant omnia. Timere relicta ab suis plebes violentiam patrum, timere Patres residem in urbe plebem, incerti, manere eam an abire mallent, quàm diù autem tranquillam, quæ secesserit, multitudinem fore? quid futurum deindè, si quod externum interim bellum existat? Nullam profectò, nisi in concordiâ civium, spem reliquam ducere; eam per æqua, per iniqua, reconciliandam civitati esse. Placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum, et quòd indè oriundus erat, plebi carum. Is intromissus in castra, prisco illo dicendi et horrido modo, nihil aliud quàm hoc narrasse fertur. Tempore quo in homine, non, ut nunc, omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, suâ curâ, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum, nihil aliud, quàm datis voluptatibus frui. Conspirasse indè, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent; hâc irâ dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra, totumque corpus, ad extremam tabem venisse. Indè apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse: nec magis ali, quàm

alere eum; reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc quàm intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in Patres, flexisse mentes hominum.

Agi deindè de concordiâ cœptum, concessumque in conditiones, ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio adversùs Consules esset, nevè cui Patrum capere eum magistratum liceret.

NARRATION XIII.

Coriolanus.

(Rom. Hist. Titus L. book 2.)

The people having obtained the release of their debts and the creation of two Tribunes, return to Rome. The Magistrates who had been created to preserve the rights of the oppressed, under pretence of securing them to the People, strive to ruin the authority of the Senate. Rome is therefore a continued prey to the most violent agitations.

The Senator who most opposed the schemes of the Tribunes is Martius Coriolanus. Proud of his military exploits, he renders himself odious to the multitude by his arrogance, and the violence of his speaches in the Senate. The people to be revenged of him, doom him to perpetual exile. He, dis-

regarding the means of his resentment, goes over to the Volsci, and placing himself at their head, marches them to an attack upon Rome

Marcius dux Volscis præfectus quam spem in illo reposuerant nequaquàm fefellit: ut facilè appareret, ducibus validiorem, quàm exercitu rem Romanam esse. Circeios [1], profectus, primùm colonos indè Romanos expulit, liberamque eam urbem Volscis tradidit. Indè in Latinam viam transversis tramitibus transgressus, Satricum, Longulam, Poluscam, Coriolos, [2] novella hæc Romanis oppida ademit. Indè Lavinium [3] recepit: tunc deinceps Corbionem, Vitelliam, Trebiam, Labicos, Pedum cepit. Postremùm, ad urbem à Pedo ducit: et ad fossas Cluilias quinque ab urbe millia passuum castris positis, populatur indè agrum Romanum: Custodibus inter populatores missis, qui Patriciorum agros intactos servarent, sive infensus plebi magis, sive ut discordia indè inter Patres, plebemque oriretur. Quæ profectò orta esset, adeò Tribuni jam ferocem per se plebem criminando in primores civitatis instigabant; sed externus timor maximum concordiæ vinculum, quamvis suspectos, infensosque inter se jungebat animos. Id modò non conveniebat; quòd Sena-

[1] Circeios, a city of Latium, now Mount Circello in the country of Rome.

[2] Corioli a city of the Volsci.

[3] Lavinium, a city of Latium, now called Pratica.

tus Consulesque, nusquàm alibi spem, quàm in armis ponebant : plebes omnia, quàm bellum, malebat. Sp. Nautius jam, et Sex. Furius Consules erant. Eos recensentes legiones, præsidia per muros, aliaque, in quibus stationes vigiliasque esse placuerat, loca distribuentes, multitudo ingens pacem poscentium primùm seditioso clamore conterruit ; deindè vocare Senatum, referre de legatis ad C. Marcium mittendis coëgit. Acceperunt relationem Patres, postquàm apparuit labare plebis animos, missique de pace ad Marcium oratores, atrox responsum retulerunt : Si Volscis ager redderetur, posse agi de pace : si prædâ belli per otium frui velint, memorem se et civium injuriæ, et hospitum beneficii, adnisurum, ut appareat, exilio sibi irritatos, non fractos animos esse. Iterùm deindè iidem missi, non recipiuntur in castra. Sacerdotes quoque suis insignibus velatos isse supplices ad castra hostium, traditum est, nihilò magis quàm legatos flexisse animum.

Tum matronæ ad Veturiam matrem Coriolani, Volumniamque uxorem frequentes coëunt ; id publicum consilium, an muliebris timor fuerit, parùm invenio. Pervicêre certè, ut et Veturia magno natu mulier, et Volumnia, duos parvos ex Marcio ferens filios secum, in castra hostium irent : et quam armis viri defendere urbem non possent, mulieres precibus, lacrymisque defenderent. Ubi ad

castra ventum est, nunciatumque Coriolanó, adesse ingens mulierum agmen, in primò, ut qui nec publicâ majestate in legatis, nec in sacerdotibus tantâ offusâ oculis, animoque religione motus esset; multò obstinatior adversùs lacrymas muliebres erat. Dein familiarium quidam, qui insignem mœstitia inter cæteras cognoverat Veturiam, inter nurum nepotesque stantem; Nisi me frustrantur, inquit, oculi, mater tibi conjuxque et liberi adsunt. Coriolanus propè ut amens, consternatus, ab sede suâ quùm ferret matri obviæ complexum; mulier in iram ex precibus versa, Sine, priusquàm complexum accipio, sciam, inquit, ad hostem an ad filium venerim: captiva materne, in castris tuis sim? In hoc me longa vita, et infelix senecta traxit, ut exsulem te, deindè hostem viderem? Potuisti populari hanc terram, quæ te genuit atque aluit? Non tibi, quamvis infesto animo et minaci perveneras, ingredienti fines, ira cecidit? Non quùm in conspectu Roma fuit, succurrit, intra illa mœnia domus ac penates mei sunt, mater, conjux, liberique? Ergò ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur. Nisi filium haberem, libera in liberâ patriâ mortua essem. Sed ego nihil jam pati, nec tibi turpiùs quùm mihi miseriùs possum: nec ut sim miserrima, diù futura sum. De his videris: quos, si pergis, aut immatura mors, aut longa servitus manet. Uxor deindè ac liberi amplexi,

fletusque ab omni turbâ mulierum ortus, et comploratio suî patriæque, fregêre tandem virum. Complexus indò suos, dimittit: ipse retrò ab urbe castra movit. Abductis deindè legionibus ex agro Romano, invidiâ rei oppressum perîsse tradunt; alii alio letho.

NARRATION XIV.

Quintius Cincinnatus.

(Rom. His. Titus L. book 3.)

Roman History, after the expulsion of their Kings, presents nothing but wars with their neighbours without, and troubles and divisions among themselves within. But when the Republic is menaced from abroad, the common danger, and the public good, unite those who before were enemies. Aided by these disturbances, Herdonius, a rich Sabine, had surprised the Capital and killed the Consul. Valerius Quintius Cincinnatus is found at his plough and taken to succeed him. Some time after, Minutius, one of his successors, suffers his army to be surrounded by the Æqui, [1] from whom the apprehension is so great as to cause the nomination of a Dictator.—The choice fell upon Cincinnatus.

---

[1] The Æqui, a people of Latium, whose capital was called Preneste, now Palestrini in the campania of Rome.

Operæ prætium est audire, qui omnia præ divitiis humana spernunt, neque honori magno locum, neque virtuti putant esse, nisi ubi effusè affluant opes. Spes unica imperii populi Romani L. Quintius, trans Tiberim, contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt, quatuor jugerum colebat agrum, quæ prata Quintia vocantur. Ibi ab legatis, seu fossam fodiens palæ innixus, seu quùm araret; operi certè, id quod constat, agresti intentus; salute datâ; invicem redditâque, rogatus ut quod benè verteret ipsi, reique publicæ, togatus mandata Senatus audiret; admiratus, rogantisque, satin' salva essent omnia, togam properè è tugurio proferre uxorem Raciliam jubet. Quâ simul, absterso pulvere ac sudore, velatus processit, dictatorem eum legati gratulantes consalutant: in urbem vocant: qui terror sit in exercitu, exponunt. Navis Quintio publicè parata fuit, transvectumque tres obviàm egressi filii excipiunt; indè alii propinqui atque amici, tum Patrum major pars. Eâ frequentiâ stipatus, antecedentibus lictoribus deductus est domum, et plebis concursus ingens fuit. Sed ea nequaquàm tam lætа Quintium vidit; et imperii nimiùm, et virum in ipso imperio vehementiorem rata. Et illâ quidem nocte nihil præterquàm vigilatum est in urbe.

Postero die Dictator, quùm antè lucem in forum venisset, magistrum equitum dicit L. Tarquitium patriciæ gentis, sed qui quùm sti-

pendia pedibus propter paupertatem fecisset, bello tamen primus longè Romanæ juventutis habitus esset. Cum magistro equitum in concionem venit, justitiam edicit, claudi tabernas totâ urbe jubet, vetat quemquam privatæ quicquam rei agere. Tum quicumque ætate militari essent, armati cum cibariis in dies quinque coctis, vallisque duodenis, antè solis occasum Martio in campo adessent; quibus ætas ad militandum gravior esset, vicino militi, dùm is arma pararet, vallumque peteret, cibaria coquere jussit. Sic juventus discurrit ad vallum petendum; sumpsêre, undè cuique proximum fuit: prohibitus nemo est: impigrèque omnes ad edictum Dictatoris præstò fuere. Inde composito agmine, non itineri magis apto, quàm prælio, si res ita tulisset, legiones ipse Dictator, magister equitum suos equites ducit. In utroque agmine, quas tempus ipsum poscebat, adhortationes erant: Adderent gradum, maturato opus esse, ut nocte ad hostem pervenire possent; consulem exercitumque Romanum obsideri; tertium diem jam clausos esse: quid quæque nox, aut dies ferat, incertum esse: puncto sæpè temporis maximarum rerum momenta verti; accelera signifer, sequere miles, inter se quoque gratificantes ducibus clamabant; mediâ nocte in Algidum perveniunt: et ut sensêre se jam propè hostes esse, signa constituunt.

Ibi dictator quantùm nocte prospici poterat,

equo circumvectus, contemplatusque qui tractus castrorum, quæque forma esset, Tribunis militum imperavit, ut sarcinas in unum conjici jubeant; militem cum armis, valloque redire in ordines suos; facta, quæ imperavit. Tum quo fuerant ordine in viâ, exercitum omnem longo agmine circumdat hostium castris, et ubi signum datum sit, clamorem omnes tollere jubet; clamore sublato, antè se quemque ducere fossam, et jacere vallum. Edito imperio, signum secutum est; jussa miles exsequitur, clamor hostes circumsonat. Superat indè castra hostium, et in castra Consulis venit; alibi pavorem, alibi gaudium ingens facit. Romani, civilem esse clamorem, atque auxilium adesse, inter se gratulantes, ultrò ex stationibus ac vigiliis territant hostem. Consul differendum negat. Illo clamore non adventum modò significari, sed rem ab suis cæptam: mirumque esse, ni jam exteriore parte castra hostium oppugnentur. Itaque arma suos capere, et se subsequi jubet. Nocte initum prœlium est. Legionibus dictatoris clamore significant, ab eâ quoque parte rem in discrimine esse. Jam se ad prohibenda circumdari opera Æqui parabant, quùm ab interiore hoste prælio cœpto, ne per media sua castra fieret eruptio, à munientibus ad pugnantes introrsum versi, vacuam noctem operi dedêre, pugnatumque cum Consule ad lucem est. Luce primâ jam circumvallati ab Dictatore

erant, et vix adversus unum exercitum pugnam sustinebant: tùm à Quintiano exercitu, qui confestim à perfecto opere ad arma rediit, invaditur vallum, hìc instabat nova pugna: nihil remiserat prior. Tum ancipiti malo urgente à prælio ad preces versi, hìnc Dictatorem, hìnc Consulem orare, ne in occidione victoriam ponerent, ut inermes se indè abire sinerent. Ab Consule ad Dictatorem ire jussis, ignominiam infensus addidit. Gracchum Clœlium ducem, principesque alios, vinctos ad se adduci jubet, oppido Corbione decedi; Sanguinis se Æquorum non egere: licere abire: sed ut exprimatur tandem confessio, subactam, domitamque esse gentem, sub jugum abituros. Tribus hastis jugum fit; humi fixis duabus, superque eas transversâ unâ deligatâ, sub hoc jugo Dictator Æquos misit.

Castris hostium receptis, plenis omnium rerum (nudos enim emiserat) prædam omnem suo tantùm militi dedit: consularem exercitum, ipsumque Consulem increpans: Carebis, inquit, prædæ parte, miles, ex eo hoste, cui propè prædæ fuisti; et tu L. Minuci, donec consularem animum incipias habere, legatus his legionibus præeris. Ita se Minucius abdicat consulatu, jussusque ad exercitum manet. Sed adeò tùm imperio meliori animus mansuetè obediens erat, ut beneficii magis, quàm ignominiæ hic exercitus memor, et coronam auream Dictatori libram pondo decreverit, et

proficiscentem eum patronum salutaverit. Romæ à Q. Fabio præfecto urbis Senatus habitus triumphantem Quintium, quo veniebat agmine, urbem ingredi jussit; ducti antè currum hostium duces: militaria signa prælata: sequutus exercitus prædâ onustus. Epulæ instructæ dicuntur fuisse antè omnium domos: epulantesque cum carmine triumphali, et solemnibus jocis, comessantium modo, currum secuti sunt. Quintius sextodecimo die dictaturâ in sex menses acceptâ se abdicavit.

NARRATION XV.

Decemvirs, year of Rome 304, *A. C.* 447.

(Rom. Hist. Titus L. book 3.)

Rome, at the end of three hundred years had not yet formed herself a code of Laws: she therefore deputes ten agents to Athens under the name of Decemvirs, to gather and digest a system from those formed there by Solon—These soon become ten Tyrants, who labour to perpetuate their power by violence and force—But the attempt of Appius upon the daughter of Virginius, rescues Rome from their despotism.

Appius enamoured of Virginia.

Sequitur aliud in urbe nefas ab libidine ortum, haud minùs fœdo eventu, quàm quod per stuprum, cædemque Lucretiæ urbe, regnoque Tarquinios expulerat: ut non finis solùm idem Decemviris, qui regibus, sed causa etiam eadem imperii amittendi esset. Ap. Claudium virginis plebeiæ stuprandæ libido cepit. Pater virginis L. Virginius, honestum ordinem in Algido ducebat, vir exempli recti, domi, militiæque. Perindè uxor instituta fuerat, liberique instituebantur. Desponderat filiam L. Icilio tribunicio, viro acri, et pro causâ plebis expertæ virtutis. Hanc virginem adultam, formâ excellentem, Appius amore ardens, pretio ac spe pellicere adortus: postquàm omnia pudore septa animadverterat, ad crudelem superbamque vim animum convertit. M. Claudio clienti negotium dedit, ut virginem in servitutem assereret, neque cederet secundùm libertatem postulantibus vindicias: quòd pater puellæ abesset, locum injuriæ esse ratus. Virgini venienti in forum (ibi namque in tabernis litterarum ludi erant) minister Decemviri libidinis manum injecit; servâ suâ natam (servamque appellans) esse; sequique se jubebat; cunctantem vi abstracturum. Pavidâ puellâ stupente, ad clamorem nutricis, fidem Quiritium implorantis, fit concursus,

Virginii patris, sponsique Icilii populare nomen celebratur; notos gratia eorum, turbam indignitas rei virgini conciliat. Jam à vi tuta erat; quùm assertor, nihil opus esse multitudine concitatâ ait, se jure grassari, non vi. Vocat puellam in jus, auctoribus qui aderant, ut sequeretur. Ad tribunal Appii perventum est; notam judici fabulam petitor, quippè apud ipsum auctorem argumenti, peragit; puellam domi suæ natam, furtoque indè in domum Virginii translatam, suppositam esse. Id se indicio compertum afferre: probaturumque, vel ipso Virginio judice, ad quem major pars injuriæ ejus pertineat. Interim dominum sequi ancillam, æquum esse. Advocati puellæ, quum Virginium Reipublicæ causà dixissent abesse, biduo affuturum, si nunciatum ei sit; iniquum esse, absentem de liberis dimicare; postulant ut rem integram in patris adventum differat; lege ab ipso latâ, vindicias det secùndum libertatem; neu patiatur virginem adultam, famæ priùs, quam libertatis periculum adire.

Appius decreto præfatus, quàm libertati faverit, eam ipsam legem declarare, quam Virginii amici postulationi suæ prætendant. Cœterùm ita in eâ firmum libertati fore præsidium, si nec causis, nec personis variet. In his enim quæ asserantur in libertatem, quia quivis lege agere possit, id juris esse: in ea quæ in patris manu sit neminem esse alium,

cui dominus possessione cedat. Placere itaque patrem arcessi. Intereà juris sui jacturam assertorem non facere, quin ducat puellam, sistendamque in adventum ejus, qui pater dicatur, promittat. Adversùs injuriam decreti quùm multi magis fremerent, quàm quisquam unus recusare auderet; P. Numitorius, puellæ avunculus, et sponsus Icilius, interveniunt; datâque inter turbam via, quùm multitudo Icilii maximè interventu resisti posse Appio crederet, lictor *decresse* ait: vociferantemque Icilium summovet. Placidum quoque ingenium tam atrox injuria accendisset. Ferro hinc tibi summovendus sum, Appi, inquit, ut tacitum feras, quod celari vis. Virginem ego hanc sum ducturus, nuptam, pudicamque habiturus. Proindè omnes collegarum quoque lictores convoca, expediri virgas et secures jube: non manebit extrà domum patris sponsa Icilii. Non, si tribunitium auxilium et provocationem plebi Romanæ, duas arces libertatis tuendæ, ademistis, ideò in liberos quoque nostros, conjugesque regnum vestræ libidini datum est. Sævite in tergum et in cervices nostras, pudicitia saltem in tuto sit. Huic si vis afferetur, ego præsentium Quiritium pro sponsâ, Virginius militum pro unicâ filiâ, omnes Deorum, hominumque implorabimus fidem; neque tu istud unquùm decretum sine cæde nostrâ referes. Postulo, Appi, etiam atque etiam consideres, quò pro-

grediare. Virginius viderit de filiâ, ubi venerit, quid agat. Hoc tantùm sciat, sibi, si hujus vindiciis cesserit, conditionem filiæ quærendam esse ; me vindicantem sponsam in libertatem, vita citius deseret, quàm fides.

NARRATION XVI.

(Rom. Hist.)

THE Father of Virginia wishes to withdraw his daughter from the prosecution of Appius, but not being able, he kills her with his dagger.

AT in urbe, primâ luce, quùm civitas in foro expectatione erecta staret ; Virginius sordidatus, filiam suam obsoletâ veste, comitantibus aliquot matronis, cum ingenti advocatione in forum deducit. Circumire ibi et prensare homines cœpit : et non orare solùm precariam opem, sed pro debitâ petere, Se pro liberis eorum ac conjugibus quotidiè in acie stare : nec alium virum esse, cujus strenue ac ferociter facta in bello plura memorari possent. Quid prodesse, si incolumi urbe, quæ captâ ultima timeantur, liberis suis sint patienda ? Hæc propè concionabundus circumibat homines. Similia his ab Icilio jactabantur ; comitatus muliebris plus tacito fletu, quàm

ulla vox movebat. Adversùs quæ omnia obstinato animo Appius (tanta vis amentiæ veriùs quàm amoris mentem turbaverat) in tribunal ascendit: et ultrò querente pauca petitore, quòd jus sibi pridiè per ambitionem dictum non esset; priusquàm aut ille postulatam perageret, aut Virginio respondendi daretur locus, Appius interfatur. Quem decreto sermonem prætenderit forsàn aliquem verum auctores antiqui tradiderint; quia nusquàm ullum in tantâ fœditate decreti verisimilem invenio; id quod constat, nudum videtur proponendum, decresse vindicias, secundùm servitutem. Primò stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit; silentium indè aliquandiù tenuit. Deindè quùm M. Claudius circumstantibus matronis iret ad prehendendam virginem, lamentabilisque eum mulierum comploratio excepisset; Virginius intentans in Appium manus, Icilio, inquit, Appi, non tibi filiam despondi: et ad nuptias, non ad stuprum educavi. Placet pecudum, ferarumque ritu promiscuè in concubitus ruere? Passurine hæc isti sint, nescio; non spero esse passuros illos, qui arma habent. Quùm repelleretur assertor virginis à globo mulierum circumstantiumque advocatorum, silentium factum per præconem.

Decemvir alienato ad libidinem animo, negat ex hesterno tantum convicio Icilii, violentiâque Virginii, cujus testem populum Roma-

num habeat, sed certis quoque indiciis compertum se habere, nocte totâ cætus in urbe factos esse, ad movendam seditionem. Itaque se haud inscium ejus dimicationis, cum armatis descendisse : non ut quemquam quietum violaret, sed ut turbantes civitatis otium, pro majestate imperii coerceret. Proindè quiesse erit melius. I, inquit, lictor, summove turbam ; et da viam domino ad prehendendum mancipium. Quùm hæc intonuisset plenus iræ, multitudo ipsa se suâ sponte dimovit, desertâque prædâ injuriæ puella stabat. Tum Virginius, ubi nihil usquàm auxilii vidit, Quæso, inquit, Appi, primùm ignosce patrio dolori, si quid inclementiùs in te sum invectus : deindè sinas hìc coràm virgine nutricem percontari quid hoc rei sit. Ut si falsò pater dictus sum, æquiore hinc animo discedam. Datâ veniâ, seducit filiam ac nutricem propè Cloacinæ ad tabernas, quibus nunc Novis est nomen ; atque ibi ab lanio cultro arrepto, Hoc te uno, quo possum, ait, modo filia, in libertatem vindico. Pectus deindè puellæ transfigit : respectansque ad tribunal. Te, inquit, Appi, tuumque caput sanguine hoc consecro. Clamore ad tàm atrox facinus orto excitus Appius, comprehendi Virginium jubet ; ille ferro, quâcumque ibat, viam facere : donec multitudine etiam prosequentium ruente ad portam perrexit. Icilius, Numitoriusque exsangue corpus sublatum ostentant populo ; scelus Appii, puellæ infelicem

formam, necessitatem patris deplorant. Sequentes clamitant matronæ, Eamne liberorum procreandorum conditionem? ea pudicitiæ præmia esse? cæteraque quæ in tali re mulieribus dolor, quò est mœstior imbecillo animo, eò miserabilia magis querentibus subjicit. Virorum et maximè Icilii vox tota, tribuniciæ potestatis ac provocationis ad populum ereptæ publicarumque indignationum erat.

NARRATION XVII.

(Rom. Hist.)

THE people proclaim aloud their discontent and retire to the sacred Mount. The Decemvirs give in their resignations.

CONCITATUR multitudo partìm atrocitate sceleris, partìm spe per occasionem repetendæ libertatis. Appius nunc vocari Icilium, nunc detrectantem arripi; postremò, quùm locus adeundi apparitoribus non daretur, ipse cum agmine Patriciorum juvenum per turbam vadens, in vincula duci jubet. Jam circà Icilium non solùm multitudo, sed duces quoque multitudinis erant, L. Valerius et M. Hora-

tius; qui, repulso lictore, si jure ageret, vindicare se à privato Icilium aiebant: si vim afferre conaretur, ibi quoque se haud impares fore. Hìnc atrox rixa oritur. Valerium Horatiumque lictor Decemviri invadit. Franguntur à multitudine fasces. In concionem Appius ascendit. Sequuntur Horatius, Valeriusque, eos concio audit, Decemviro obstrepitur. Jam pro imperio Valerius discedere à privato lictores jubebat: quùm fractis animis Appius, vitæ metuens, in domum se propinquam foro, insciis adversariis, capite obvoluto recipit. Sp. Oppius, ut auxilio collegæ esset, in forum ex alterâ parte irrumpit; videt imperium vi victum. Agitatis deindè consiliis, atque ex omni parte assentiendo multis auctoribus trepidus, Senatum postremò vocari jussit. Ea res, quòd magnæ parti Patrum displicere acta Decemvirorum videbantur, spe per Senatum finiendæ potestatis ejus, multitudinem sedavit. Senatus nec plebem irritandam censuit: et multò magis providendum, ne quid Virginii adventus in exercitu motus faceret.

Itaque missi juniores Patrum in castra, quæ tùm in monte Vecilio erant; nunciant Decemviris, ut omni ope à seditione milites contineant. Ubi Virginius majorem, quam reliquerat in urbe, motum excivit. Nam præterquàm quod agmine propè quadringentorum hominum veniens, qui ab urbe indignitate rei accensi comites ei se dederant, conspectus est; strictum

etiam telum, respersusque ipse cruore tota in se castra convertit; et togæ multifariam in castris visæ, majoris aliquantò quàm erat, speciem urbanæ multitudinis fecerant. Quærentibus quid rei esset, flens diù vocem non misit: tandem ut jam ex trepidatione concurrentium turba constitit, ac silentium fuit, ordine cuncta, ut gesta erant, exposuit. Supinas deindè tendens manus, commilitones appellans orabat: Ne quod scelus Appii Claudii esset, sibi attribuerent: neu se ut parricidam liberûm aversarentur. Sibi vitam filiæ suâ cariorem fuisse, si liberæ ac pudicæ vivere licitum fuisset; quùm velut servam ad stuprum rapi videret, morte amitti meliùs ratum, quàm contumeliâ liberos, misericordiâ se in speciem crudelitatis lapsum. Nec se superstitem filiæ futurum fuisse, nisi spem ulciscendæ mortis ejus in auxilio commilitonum habuisset. Illis quoque enim filias, sorores, conjugesque esse; nec cum filiâ suâ libidinem Appii Claudii extinctam esse; sed quò impunitior sit; eò effrenatiorem fore. Alienâ calamitate documentum datum illis cavendæ similis injuriæ; quod ad se attineat, uxorem sibi fato ereptam: filiam, quia non ultrà pudica victura fuerit, miserâ, sed honestâ, morte occubuisse. Non esse jam Appii libidini locum in domo suâ; ab aliâ violentiâ ejus, eodem se animo suum corpus vindicaturum, quo vindicaverit filiæ. Cæteri sibi ac liberis suis consulerent. Hæc Virginio

vociferanti succlamabat multitudo, nec illius dolori, nec suæ libertati se defuturos. Et immisti turbæ militum togati, quùm eadem illa querendó, docendoque quanto visa quàm audita indigniora potuerint videri : simul profligatam jam rem nunciando Romæ esse ; insecutique, qui Appium propè interemptum in exilium abiisse dicerent, perpulerunt, ut ad arma conclamaretur, vellerentque signa, et Romam proficiscerentur. Decemviri simul iis quæ videbant, simul his quæ acta Romæ audierant, perturbati ; alius in aliam partem castrorum ad sedandos motus discurrunt, et leniter agentibus responsum non redditur : imperium si quis inhiberet, et viros et armatos se esse, respondetur. Eunt agmine ad urbem, et Aventinum insidunt ; ut quisque occurrerat, plebem ad repetendam libertatem, creandosque Tribunos plebis adhortantes, alia vox nulla violenta audita est. Senatum Sp. Oppius habet : nihil placet asperè agi ; quippè ab ipsis datum locum seditionis esse. Mittuntur tres legati consulares, Sp. Tarpeius, C. Julius, P. Sulpicius, qui quærerent Sanatûs verbis, cujus jussu castra deseruissent, aut quid sibi vellent, qui armati Aventinum obsedissent, belloque averso ab hostibus patriam suam cepissent? Non defuit quid responderetur : deerat qui daret responsum ; nullo dùm certo duce, nec satis audentibus singulis invidiæ se offerre ; id modò à multitudine conclamatum

est, ut L. Valerium, et M. Horatium ad se mitterent; his se daturos responsum.

Demissis legatis, admonet milites Virginius, In re non maximâ paulò antè trepidatum esse, quia sine capite multitudo fuerit: responsumque quamquàm non inutiliter, fortuito tamen magis consensu, quâm communi consilio esse. Placere decem creari, qui summæ rei præessent, militarique honore tribunos militum appellari. Quùm ad eum ipsum primùm is honos deferretur, Melioribus meis, vestrisque rebus reservate, inquit, ista de me judicia. Nec mihi filia inulta honorem ullum jucundum esse patitur; nec in perturbatâ Republicâ eos utile est præesse vobis, qui proximi invidiæ sint. Si quis usus mei est; nihilò minor ex privato capietur. Ita decem numero Tribunos militares creant. Neque in Sabinis quievit exercitus; ibi quoque auctore Icilio, Numitorioque, secessio ab Decemviris facta est, non minore motu animorum Siccii cædis memoriâ revocatâ, quàm quem nova fama de Virginiâ adeò fœdè ad libidinem petitâ accenderat. Icilius ubi audivit Tribunos militum in Aventino creatos, ne comitiorum militarium prærogativam urbana comitia iisdem Tribunis plebis creandis sequerentur; perítus rerum popularium, imminensque ei potestati, et ipse priusquàm iretur ad urbem, pari potestate eumdem numerum ab suis creandum curat. Portâ Collina urbem intravêre

sub signis, mediâque urbe agmine in Aventinum pergunt ; ibi conjuncti alteri exercitui, viginiti Tribunis militum negotium dederunt, ut ex suo numero duos crearent, qui summæ rerum præessent. M. Oppium, Sex. Manilium creant. Patres solliciti de summâ rerum, quùm Senatus quotidiè esset, jurgiis sæpius terunt tempus, quâm consiiiis. Siccii cædes Decemviris et Appiana libido, et dedecora militiæ objiciebantur. Placebat Valerium, Horatiumque ire in Aventinum, illi negabant se aliter ituros, quàm si Decemviri deponerent insignia magistratûs ejus, quo anno jam antè abissent. Decemviri querentes se in ordinem cogi, non ante quàm perlatis legibus, quarum causâ creati essent, deposituros imperium se aiebant.

Per M. Duilium, qui Tribunus plebis fuerat, certior facta plebs, contentionibus assiduis nihil transigi, in Sacrum montem ex Aventino transit : affirmante Duilio non priùs quàm deseri urbem videant, curam in animos Patrum descensuram ; admoniturum Sacrum montem constantiæ plebis ; scituros, quòd sine restitutâ potestate redigi in concordiam res nequeant. Viâ Nomentanâ, cui tum Ficulnensi nomen fuit, profecti, castra in monte Sacro locavêre, modestiam patrum suorum nihil violando imitati. Secuta exercitum plebs, nullo qui per ætatem ire posset retractante. Prosequuntur conjuges liberique, cuinam se relin-

querent in eâ urbe, in quâ nec pudicitia, nec libertas sancta esset, miserabiliter rogitantes. Quùm vasta Romæ omnia insueta solitudo fecisset, in foro præter paucos seniorum neme esset; vocatis utique in Senatum patribus, desertum apparuisset forum; plures jam, quàm Horatius et Valerius, vociferabantur: Quid exspectabitis, Patres Conscripti? Si decemviri finem pertinaciæ non faciunt, ruere ac deflagrare omnia passuri estis? Quod autem istud imperium est, decemviri, quod amplexi tenetis? Tectis ac parietibus jura dicturi estis. Non pudet lictorum vestrorum majorem propè numerum in foro conspici, quàm togatorum aliorum? Quid, si hostes ad urbem veniant, facturi estis? quid si plebs mox, ubi parùm secessione moveamur, armata veniat? Occasune urbis vultis finiri imperium? Atqui aut plebs non est habenda, aut habendi sunt tribuni plebis. Nos citiùs caruerimus patriciis magistratibus, quûm illi plebeiis. Novam inexpertamque eam potestatem eripuêre patribus nostris, ne nunc dulcedine semel capti ferant desiderium; quum præsertim nec nos temperemus imperiis, quò minùs illi auxilii egeant. Quùm hæc ex omni parte jactarentur, victi consensu Decemviri, futuros se, quandò ita videatur, in potestate Patrum affirmant. Id modò simul orant ac monent, ut ipsis ab invidiâ caveatur: nec suo sanguine ad supplicia Patrum plebem assuefaciant.

Tum Valerius, Horatiusque missi ad plebem conditionibus, quibus videretur, revocandam, componendasque res, Decemviris quoque ab irâ et impetu multitudinis præcavêre jubentur. Profecti, gaudio ingenti plebis in castra accipiuntur : quippè liberatores haud dubiè et motûs initio, et exitu rei. Ob hæc iis advenientibus gratiæ actæ. Icilius pro multitudine verba facit. Idem, quùm de conditionibus ageretur, quærentibus legatis quæ postulata plebis essent ; composito jam antè adventum legatorum consilio ea postulavit, ut appareret in æquitate rerum, plus quàm in armis, reponi spei. Potestatem enim tribuniciam, provocationemque repetebant, quæ antè Decemviros creatos, auxilia plebis fuerant : et ne cui fraudi esset, conscisse milites aut plebem ad repetendam per secessionem libertatem. De Decemvirorum modò supplicio atrox postulatum fuit. Dedi quippè eos æquum censebant, vivosque igni concrematuros minabantur. Legati ad ea : Quæ consilii fuerunt, adeò æqua postulatis, ut ultrò nobis deferenda fuerint : libertati enim ea præsidia petitis, non licentiæ ad impugnandos alios. Iræ vestræ magis ignoscendum, quàm indulgendum est : quippè qui crudelitatis odio in crudelitatem ruitis, et, priùs penè quàm ipsi liberi sitis, dominari jam in adversarios vultis. Numquàmne quiescet civitas nostra à suppliciis, aut Patrum in plebem Romanam, aut plebis in Patres? Scuto

vobis magis, quàm gladio opus est. Satis super quæ humilis est, qui jure æquo in civitate vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo. Etiam, si quandò metuendos vos præbituri estis, quùm recuperatis magistratibus legibusque vestris, judicia penès vos erunt de capite nostro fortunisque: tunc, ut quæque causa erit, statuetis ; nunc libertatem repeti, satis est.

Facerent ut vellent permittentibus cunctis, mox redituros se legati rebus perfectis affirmant. Profecti quùm mandata plebis Patribus exposuissent ; alii Decemviri, quandoquidem præter spem ipsorum supplicii sui nulla mentio fieret, haud quicquam abnuere. Appius truci ingenio, et invidiâ præcipuâ, odium in se aliorum suo in eos metiens odio, Haud ignaro, inquit, imminet fortuna. Video donec arma adversariis tradantur, differri adversùs nos certamen ; dandus invidiæ est sanguis. Nihil ne ego quidem moror, quò minùs decemviratu abeam. Factum Senatus consultum, ut decemviri se primo quoque tempore magistratu abdicarent : Q. Furius pontifex maximus tribunos plebis crearet : et ne cui fraudi esset secessio militum plebisque. His Senatusconsultis perfectis, dimisso Senatu Decemviri prodeunt in concionem ; abdicantque se magistratu, ingenti hominum lætitiâ.

NARRATION XVIII.

The capture of Veii year of Rome, 359. *A. C.* 393.

(Rom. His. Titus L. book 5.)

The Republick, by the re-establishment of its ancient magistrates, recovers its ancient form of government. The Decemvris perish in prison or in exile. From that time to the war with the Gauls, Roman History presents nothing of note. Within, Rome is incessantly distracted with broils and hatred; without the Romans prepare themselves for the conquest of the world, by exercising their valour against their weak neighbours. Their most memorable expedition at this time, is the siege of Veii, which defends itself for ten years. Camillus, who commenced it as a Military Tribune, terminates it whilst a Dictator.

Ingens profecta multitudo replevit castra. Tum dictator auspicato egressus, quùm edixisset ut arma milites caperent, Tuo ductu, inquit, Pythice Apollo, tuoque numine instinctus pergo ad delendam urbem Veios : tibique hinc decimam partem prædæ voveo. Te simul, Juno regina, quæ nunc Veios colis, precor, ut nos victores in nostram, tuamque mox futuram urbem sequare : ubi te dignum amplitudine tuâ templum accipiat. Hæc preca-

tus superante multitudine, ab omnibus locis urbem aggreditur, quò minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus esset. Veïentes ignari, se jam ab suis vatibus, jam ab externis oraculis proditos, jam in partem prædæ suæ vocatos Deos, alios votis ex urbe sua evocatos hostium templa, novasque sedes spectare, seque ultimum illum diem agere ; nihil minùs timentes, quàm subrutis cuniculo mœnibus arcem jam plenam hostium esse, in muros pro se quisque armati discurrunt ; mirantes quidnam id esset, quòd quùm tot per dies nemo se ab stationibus Romanis movisset, tùm velut repentino icti furore improvidi currerent ad muros. Inseritur huic loco fabula: immolante rege Veientium, vocem aruspicis dicentis, qui ejus hostiæ exta prosecuisset, ei victoriam dari, exauditam in cuniculo, movisse Romanos milites, ut adaperto cuniculo exta raperent, et ad dictatorem ferrent. Sed in rebus tam antiquis, si, quæ similia veri sunt, pro veris accipiantur, satis habeam. Hæc ad ostentationem scenæ gaudientis miraculis aptiora, quàm ad finem, nequè affirmare, nequè refellere operæ pretium est. Cuniculus delectis militibus eo tempore plenus, in æde Junonis, quæ in Veientanâ arce erat armatos repentè edidit; et pars adversos in muris invadunt hostes, pars claustra portarum revellunt : pars, quùm ex tectis saxa, tegulæque à mulieribus ac servitiis jacerentur, inferunt ignes.

Clamor omnia variis terrentium ac paventium vocibus, misto mulierum ac puerorum ploratu, complet. Momento temporis dejectis ex muro undique armatis, patefactisque portis, quùm alii agmine irruerent; alii desertos scanderent muros, urbs hostibus impletur, omnibus locis pugnatur. Deindè multâ jam editâ cæde, senescit pugna : et dictator præcones edicere jubet, ut ab inermi abstineatur ; is finis sanguinis fuit. Dedi indè inermes cœpti : et ad prædam miles permissu dictatoris discurrit ; quæ quùm antè oculos ejus aliquantùm spe atque opinione major, majorisque pretii rerum ferretur, dicitur manus ad cœlum tollens precatus esse, ut si cui Deorum hominumqne nimia sua fortuna, populique Romani videretur : ut eam invidiam lenire suo privato incommodo, quàm minimo publico populi Romani liceret. Convertentem se inter hanc venerationem traditur memoriæ, prolapsum cecidisse : idque omen pertinuisse posteà eventu rem conjectantibus visum ad damnationem ipsius Camilli captæ deindè urbis Romanæ, quod post paucos accidit annos, cladem. Atque ille dies cæde hostium ac direptione urbis opulentissimæ est consumptus.

NARRATION XIX.

The capture of Rome by the Gauls, in the year of Rome, 365. A. C. 387.

(Rom. Hist. Titus L. book 5.)

The first irruption of the Gauls into Italy happens under the reign of Tarquin the elder. They then invade all those beautiful provinces[1] which lie between the Alps, the Appenines, and the River Tesin. It was about two hundred years after their invasion of Italy, before they again had any thing to do with the Romans. The city of Clusium[2] which they besiege, asks succour of the Romans, whose ambassadors, in place of acting as mediators, put themselves at the head of the besieged. Brennus, their chief, being thus irritated, turns his arms against the Romans themselves[3]. The battle upon the banks of the Allia issues in their general rout and the immediate loss of the city of Rome.

Tribuni militum, non loco castris antè capto, non præmunito vallo, quò receptus esset, non

---

[1] Piedmont and Milan.

[2] *Clusium*—now Chiusi in Etruria, opposite the source of the Tiber.

The Allia, a small river of the Campania of Rome, called Rio-Caminato, or Rio di Mosso.

Deorum saltem, si non hominum, memores, nec auspicato, nec litato, instruunt aciem diductam in cornua, ne circumveniri multitudine hostium possent; nec tamen æquari frontes poterant, quùm extenuando, infirmam et vix cohærentem mediam aciem haberent. Paulùm erat ab dexterâ editi loci: quem subsidiariis repleri placuit: eaque res ut initium pavoris ac fugæ, sic una salus fugientibus fuit. Nam Brennus regulus Gallorum in paucitate hostium artem maximè timens, ratus ad id captum superiorem locum, ut ubi Galli cum acie legionum rectâ fronte concurrissent, subsidia in aversos transversosque impetum darent, ad subsidiarios signa convertit: si eos loco depulisset, haud dubius facilem in æquo campi tantum superante multitudine victoriam fore; adeò non fortuna modò, sed ratio etiam cum barbaris stabat. In alterâ acie nihil simile Romanis, non apud duces, non apud milites erat; pavor fugaque occupaverat animos, et tanta hominum oblivio, ut multò major pars Veios in hostium urbem, quùm Tiberis arceret, quâm recto itinere Romam ad conjuges ac liberos fugerent. Parumper subsidiarios tutatus est locus; in reliquâ acie, simul est clamor proximis ab latere, ultimis ab tergo auditus, ignotum hostem priùs penè quàm viderent, non modò non tentato certamine, sed ne clamore quidem reddito, integri, intactique fugerunt. Nec ulla cædes pugnantium fuit: terga

cæsa suomet ipsorum certamine in turbâ impedientium fugam. Circà ripam Tiberis, quo armis abjectis totum sinistrum cornu defugit, magna strages facta est : multosque imperitos nandi, aut invalidos, graves loricis aliisque tegminibus hausêre gurgites ; maxima tamen pars incolumis Veios perfugit ; undè non modò præsidii quicquam, sed ne nuncius quidem cladis Romam est missus. Ab dextro cornu, quod procul â flumine, et magis sub monte steterat ; Romam omnes petiêre, et ne clausis quidem portis urbis, in arcem confugerunt.

Gallos quoque velut obstupefactos, miraculum victoriæ tam repentinæ tenuit ; et ipsi pavore defixi primùm steterunt, velut ignari quid accidisset ; deindè insidias vereri, postremò cæsorum spolia legere, armorumque cumulos, ut mos eis est, coacervare. Tum demùm postquàm nihil usquàm hostile cernebatur, viam ingressi, haud multò antè Solis occasum ad urbem Romam perveniunt ; ubi quùm prægressi equites non portas clausas, non stationem pro portis excubare, non armatos esse in muris, retulissent ; aliud priori simile miraculum eos sustinuit ; noctemque veriti, et ignotæ situm urbis, inter Romam atque Anienem consedêre ; exploratoribus missis circà mœnia aliasque portas, quænam hostibus in perditâ re consilia essent. Romani, quùm pars major ex acie Veios pestiisset, nemo superesse quemquam præter eos, qui Ro-

man refugerant, crederet, complorati omnes pariter vivi, mortuique, totam propè urbem lamentis impleverunt. Privatos deindè luctus stupefecit publicus pavor, postquàm hostes adesse nunciatum est ; mox ululatus, cantusque dissonos, vagantibus circâ mœnia turmatìm barbaris, audiebant. Omne indè tempus suspensos ità tenuit animos usquè ad lucem alteram, ut identidem jam in urbem futurus videretur impetus primo adventu, quo accesserant ad urbem; mansûros enim ad Alliam fuisse, nisi hoc consilii foret. Deindè sub occassum Solis, quia haud multum diei supererat, antè noctem rati se invasuros ; tum in noctem dilatum consilium esse, quò plus pavoris inferrent. Postremò lux appropinquans exanimare : timorique perpetuo ipsum malum continens fuit, quùm signa infesta portis sunt illata. Nequaquàm tamen eâ nocte, nequè insequenti die similis illi, quæ ad Alliam tam pavidè fugerat, civitas fuit. Nam quùm defendi urbem posse, tam parvâ relictâ manu, spes nulla esset, placuit cum conjugibus ac liberis juventutem militarem, senatûsque robur, in arcem, Capitoliumque conscendere : armisque et frumento collatis, ex loco indè munito Deos, hominesque et Romanum nomen defendere. Flaminem, sacerdotesque Vestales, sacra publica â cæde, ab incendiis procul auferre : nec antè deseri cultum eorum quam non superessent qui colerent. Si arx, Capitoliumque sedes Deorum, si Senatus ca-

put publici consilii, si militaris juventus superfuerit imminenti ruinæ urbis, facilem jacturam esse seniorum, relictæ in urbe utiquè perituræ turbæ ; et, quò id æquiore animo de plebe multitudo ferret, senes triumphales consularesque simul se cum illis palàm dicere obituros : nec his corporibus, quibus non arma ferre, non tueri patriam possent, onerâturos inopiam armatorum.

Hæc inter seniores morti destinatos jactata solatia. Versæ indè adhortationes ad agmen juvenum ; quos in Capitolium atquè in arcem prosequebantur, commendantes virtuti eorum juventæque urbis per trecentos sexaginta annos omnibus bellis victricis, quæcumque reliqua esset, fortunam. Digredientibus qui spem omnem atque opem secum ferebant, ab iis qui captæ urbis non superesse statuerant exitio ; quùm ipsa res, speciesque miserabilis erat, tum muliebris fletus et concursatio incerta, nunc hos nunc illos sequentium, rogitantiumque viros, natosque, cui se fato darent, nihil, quod humanis superesset malis, relinquebant ; magna pars tamen earum in arcem suos prosecutæ sunt, nec prohibente ullo, nec vocante : quia quod utile obsessis ad minuendam imbellem multitudinem, id parùm humanum erat. Alia maximè plebis turba, quam nec capere tam exiguus collis, nec alere in tantâ inopiâ frumenti poterat, ex urbe effusa velut agmine jam uno petiit Janiculum ; indè

pars per agros dilapsi, pars urbes petunt finitimas ; sine ullo duce, aut consensu, suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis, exsequentes. Flamen interìm Quirinalis, virginesque Vestales, omissâ rerum suarum curâ, quæ sacrorum secum ferenda, quæ (quia vires ad omnia ferenda deerant) relinquenda essent consultantes, quisve ea locus fideli asservaturus custodiâ esset; optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo ædibus flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere : cætera inter se onere partito ferunt, viâ quæ sublicio ponte ducit ad Janiculum. In eo clivo eas quùm L. Albinius de plebe Romanâ homo conspexisset, plaustro conjugem ac liberos vehens inter cæteram turbam, quæ inutilis bello urbe excedebat ; salvo etiam tum discrimine divinarum humanarumque rerum, irreligiosum ratus sacerdotes publicos, sacraque populi Romani pedibus ire, ferrique, se ac suos in vehiculo conspici; descendere uxorem ac pueros jussit, virgines sacraque in plaustrum imposuit: et Cære, quo iter sacerdotibus erat, pervexit.

Romæ interìm, satis jam omnibus, ut in tali re, ad tuendam arcem compositis, turba seniorum domos regressa, adventum hostium obstinato ad mortem animo exspectabat ; qui eorum curules gesserant magistratus, ut in fortunæ pristinæ, honorumque aut virtutis insignibus morerentur, quæ augustissima ves-

tis est thensas ducentibus, triumphantibusve, eâ vestiti medio ædium eburneis sellis sedere. Sunt, qui, M. Fabio Pontifice maximo præfante carmen, devovisse eos se pro patriâ, Quiritibusque Romanis tradant. Galli, quia interpositâ nocte à contentione pugnæ remiserant animos, et quòd nec in acie ancipiti usquàm certaverant prælio, nec tum impetu aut vi capiebant urbem, sine irâ, sine ardore animorum ingressi postero die urbem, patente Collinâ portâ in forum perveniunt; circumferentes oculos ad templa Deûm, arcemque solam belli speciem tenentem. Indè modico relicto præsidio (ne quis in dissipatos ex arce aut Capitolio impetus fieret) dilapsi ad prædam vacuis occursu hominum viis, pars in proxima quæque tectorum agmine ruunt: pars, ultima, velut ea demùm intacta et referta prædâ, petunt; indè rursùs ipsâ solitudine absterriti, ne qua fraus hostilis vagos exciperet, in forum et propinqua foro loca conglobati redibant: ubi eos, plebis ædificiis obseratis, patentibus atriis principum, major propè cunctatio tenebat, aperta quam clausa invadendi; adeò haud secùs quàm venerabundi intuebantur in ædium vestibulis sedentes viros, præter ornatum, habitumque humano augustiorem, majestate etiam, quam vultus gravitasque oris præ se ferebat, simillimos Diis. Ad eos velut simulacra versi quùm starent, M. Papirius unus ex his dicitur Gallo barbam suam, ut tùm omni-

bus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso iram movisse : atque ab eo initium cædis ortum, cæteros in sedibus suis trucidatos. Post principum cædem, nulli deinde mortalium parci, diripi tecta, exhaustis injici ignes.

NARRATION XX.

Siege of the Capitol.

(Rom. Hist. Titus L. book 5.)

Rome would no doubt have escaped her disasters, had she had the aid of Camillus. But he had fled into voluntary exile to avoid the envy and unmerited persecution of his countrymen. Whilst bemoaning the calamities of his ungrateful country in his retirement at Ardea, [1] his countrymen, driven by extremities, recall him to their relief. He promptly obeys : and undertakes the delivery of the Capitol ; and the raising of Rome from its ruins.

Consensu omnium placuit, ab Ardeâ Camillum acciri ; sed anteà consulto Senatu, qui Romæ esset, adeò regebat omnia pudor, dis-

---

1 Ardea a city of the Rutuli, a little village between Ostia and Antia-Ruinato in the Campania of Rome.

criminaque rerum propè perditis rebus servabant. Ingenti periculo transeundum per hostium custodias erat; ad eam rem Pontius Cominius, impiger juvenis, operam pollicitus, incubans cortici, secundo Tiberi ad urbem defertur. Indè quia proximum fuit à ripâ, per præruptum eoque neglectum hostium custodiæ saxum, in Capitolium evadit: et, ad magistratus ductus, mandata exercitûs edit. Accepto inde Senatus decreto, ut et comitiis curiatis revocatus de exilio, jussu populi Camillus dictator extemplò diceretur, militesque haberent imperatorem quem vellent, eâdem degressus, nuncius Veios contendit: missique Ardeam legati ad Camillum, Veios eum perduxêre: seu, (quod magis credere libet, non priùs profectum ab Ardeâ, quàm comperit legem latam: quod nec injussu populi mutari finibus posset, neç nisi dictator dictus auspicia in exercitu habere;) lex curiata lata est, dictatorque absens dictus.

Dùm hæc Veiis agebantur, interìm arx Romæ, Capitoliumque in ingenti periculo fuit. Namque Galli, seu vestigio notato humano, quà nuncius à Veiis pervenerat; seu suâ sponte animadverso ad Carmentis saxum ascensu æquo, nocte sublustri, quùm primò inermem, qui tentaret viam, præmisissent, tradentes indè arma, ubi quid iniqui esset, alterni innixi, sublevantesque invicem et trahentes alii alios, prout postularet locus; tanto silentio in sum-

mum evasêre, ut non custodes solùm fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent. Anseres non fefellêre, quibus sacris Junoni, in summâ inopiâ cibi, tamen abstinebatur: quæ res saluti fuit. Namque clangore eorum alarumque crepitu excitus M. Manlius, qui triennio antè consul fuerat, vir bello egregius, armis arreptis simul ad arma cæteros ciens vadit; et dùm cæteri trepidant, Gallum qui jam in summo constiterat, umbone ictum deturbat. Cujus casus prolapsi quùm proximos sterneret, trepidantes alios armisque omissis, saxa, quibus adhærebant, manibus amplexos, trucidat: jamque et alii congregati telis missilibusque saxis proturbare hostes, ruinâque tota prolapsa acies in præceps deferri. Sedato deindè tumultu, reliquum noctis (quantum in turbatis mentibus poterat, quùm præteritum quoque periculum sollicitaret) quieti datum est. Luce ortâ, vocatis classico ad concilium militibus, ad tribunos, quùm et rectè et perperàm facto pretium deberetur; Manlius primùm ob virtutem laudatus, donatusque, non ab tribunis solùm militum, sed consensu etiam militari: cui universi selibras farris, et quartarios vini, ad ædes ejus, quæ in arce erant, contulerunt; rem dictu parvam, cæterùm, inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis. cùm se quisque victu suo fraudans, detractum corpori atque usibus necessariis ad honorem unius viri con-

ferret. Tum vigiles ejus loci, quâ fefellerat ascendens hostis, citati: et quùm in omnes more militari se animadversurum Q. Sulpicius tribunus militum pronunciasset; consentiente clamore militum, in unum vigilem conjicientium culpam, deterritus, à cæteris abstinuit, reum haud dubium ejus noxæ, approbantibus cunctis, de saxo dejecit. Indè intentiores utrimque custodiæ esse; et apud Gallos, quia vulgatum erat inter Veios Romamque nuncios commeare: et apud Romanos, ab nocturni periculi memoriâ.

Sed antè omnia obsidionis bellique mala, fames utrumque exercitum urgebat: Gallos pestilentia etiam, quùm loco jacente inter tumulos castra habentes, tùm ab incendiis torrido et vaporis pleno, cineremque, non pulverem modo ferente, quùm quid venti motum esset, quorum intolerantissima gens, humorique ac frigori assueta, quùm æstu et angore vexati, vulgatis velut in pecua morbis, morerentur; jam pigritia singulos sepeliendi, promiscuè acervatos cumulum hominum urebant; bustorumque indè Gallicorum nomine insignem locum fecêre. Induciæ deindè cum Romanis factæ, et colloquia permissu imperatorum habita: in quibus quùm identidem Galli famem objicerent; eâque necessitate ad deditionem vocarent: dicitur, avertendæ ejus opinionis causâ, multis locis panis de Capitolio jactus esse in hostium stationes. Sed jam nequè dissimu-

lari, neque ferri ultrà fames poterat. Itaque dùm dictator delectum per se Ardeæ habet, magistrum equitum L. Valerium à Veiis abducere exercitum jubet, parat, instruitque quibus haud impar adoriatur hostes : interìm Capitolinus exercitus stationibus, vigiliisque fessus, superatis tamen humanis omnibus malis, quùm famem unam natura vinci non sineret : diem de die prospectans, ecquòd auxilium ab dictatore appareret ; postremò spe quòque jam, non solum cibo deficiente, et, quùm stationes procederent, propè obruentibus infirmum corpus armis ; vel dedi, vel redimi se, quâcùmque pactione possent, jussit : jactantibus non obscurè Gallis, haud magnâ mercede se adduci posse, ut obsidionem relinquant. Tum senatus habitus, tribunisque militum negotium datum, ut paciscerentur. Indè inter Q. Sulpicium tribunum militum, et Brennum regulum Gallorum colloquio transacta res est, et mille pondo auri pretium populi gentibus mox imperaturi factum. Rei fœdissimæ per se, adjecta indignitas est : pondera ab Gallis allata iniqua, et tribuno recusante, additus ab insolente Gallo ponderi gladius : auditaque intoleranda Romanis vox, *Væ victis esse.*

Sed Diique et homines prohibuêre redemptos vivere Romanos ; nam fortè quâdam, priùs quàm infanda merces perficeretur, per altercationem nondùm omni auro appenso, dictator intervenit ; auferrique aurum in medio,

et Gallos submoveri jubet. Quùm illi renitentes, pactos dicerent sese, negat eam pactionem ratam esse, quæ, postquàm ipse dictator creatus esset, injussu suo ab inferioris juris magistratu facta esset: denunciatque Gallis, ut se ad prælium expediant. Suos in acervum conjicere sarcinas, et arma aptare, ferroque non auro recuperare patriam jubet; in conspectu habentes fana Dêum, et conjuges, et liberos, et solum patriæ deforme belli malis, et omnia quæ defendi, repetique et ulcisci fas sit. Instruit deindè aciem, ut loci natura patiebatur, in semirutæ solo urbis, et naturâ inæquali: et omnia quæ arte belli secunda suis eligi, præpararive poterant, providit. Galli novâ re trepidi arma capiunt, irâque magis quàm consilio in Romanos incurrunt. Jam verterat fortuna, jam Deorum opes, humanaque consilia rem Romanam adjuvabant; igitur primo concursu haud majore momento fusi Galli sunt, quàm ad Alliam vicerant. Justiore altero deindè prælio, ad octavum lapidem Gabinâ viâ, quò se ex fugâ contulerant, ejusdem ductu auspicioque Camilli vincuntur. Ibi cædes omnia obtinuit; castra capiuntur, et ne nuncius quidem cladis relictus, Dictator, recuperatâ ex hostibus patriâ, triumphans in urbem redit: interque jocos militares, quos inconditos jaciunt, Romulus ac parens patriæ conditorque alter urbis, haud vanis laudibus, appellatur. Servatam deindè bello patriam,

iterùm in pace haud dubiè servavit, quùm prohibuit migrari Veios: et tribunis rem intentiùs agentibus post incensam urbem, et per se inclinatâ magis plebe ad id consilium: eaque causa fuit non abdicandæ post triumphum dictaturæ, senatu obsecrante, ne rempublicam in incerto relinqueret statu.

NARRATION XXI.

The punishment of Marcus Manlius.

(Rom. Hist. Titus L. book 6.)

The glory and renown justly acquired by Camillus in the service of his country is a cause of deep chagrin to M. Manlius. This Patrician, ambitious of power, abandons the interests of his order to gain the suffrages of the Plebians. He hopes to acquire thereby the supreme power: but his fate manifests the end of most of the ambitious.

Quùm dies venit, quæ præter cœtus multitudinis seditiosasque voces, et largitionem et fallax indicium, pertinentia propriè ad regni crimen, ab accusatoribus objecta sint reo, apud neminem auctorem invenio. Nec dubito haud parva fuisse, quùm damnandi mora plebi non in causâ, sed in loco fuerit. Illud notandum videtur, ut sciant homines, quæ et quanta de-

cora fœda aviditas regni, non ingrata solùm, sed invisa etiam reddiderit. Homines propè quadringentos produxisse dicitur, quibus sine fœnore expensas pecunias tulisset, quorum bona venire, quos duci addictos prohibuisset. Ad hæc, decora quoque belli non commemorasse tantum, sed protulisse etiam conspicienda; spolia hostium cæsorum ad triginta, dona imperatorum ad quadraginta: in quibus insignes duas murales coronas, civicas octo. Ad hæc servatos ex hostibus cives produxisse; inter quos C. Servilium magistrum equitum absentem nominatum: et quùm ea quoque, quæ bello gesta essent, pro fastigio rerum, oratione etiam magnifica facta dictis æquando memorasset; nudasse pectus insigne cicatricibus bello acceptis; et identidem Capitolium spectans, Jovem Deosque alios devocasse ad auxilium fortunarum suarum, precatusque esse, ut quam mentem sibi Capitolinam arcem protegenti ad salutem populi Romani dedissent, eam populo Romano in suo discrimine darent: et orasse singulos, universosque, ut Capitolium atque arcem intuentes, ut ad Deos immortales versi, de se judicarent. In campo Martio quum centuriatìm populus citaretur, et reus ad Capitolium manus tendens, ab hominibus ad Deos preces avertisset; apparuit tribunis, nisi oculos quoque hominum liberassent ab tanti memoriâ decoris, numquàm fore in præoccupatis beneficio animis vero cri-

mini locum. Ita prodictâ die, in Petelinum lucum extrà portam Flumentanam, undè conspectus in Capitolium non esset, consilium populi indictum est ; ibi crimen valuit, et obstinatis animis triste judicium, invisumque etiam judicibus factum. Sunt qui per duumviros, qui de perduellione anquirerent, creatos, auctores sint damnatum ; tribuni de Saxo Tarpeio dejeceruut : locusque idem in uno homine et eximiæ gloriæ monimentum, et pœnæ ultimæ fuit. Ajectæ mortuo notæ sunt : publica una ; quòd, quùm domus ejus fuisset, ubi nunc ædes atque officina Monetæ est, latum ad populum est, ne quis patricius in arce, aut Capitolio habitaret : gentilitia altera ; quod gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deindè M. Manlius vocaretur. Hunc exitum habuit vir, nisi in liberâ civitate natus esset, memorabilis. Populum brevi, postquàm periculum ab eo nullum erat, per se ipsas recordantem virtutes desiderium ejus tenuit ; pestilentia etiam brevi consecuta, nullis occurrentibus tantæ cladis causis, ex Manliano supplicio magnæ parti videri orta : Violatum Capitolium esse sanguine servatoris ; nec Diis cordi fuisse pœnam ejus oblatam propè oculis suis, à quo sua templa erepta è manibus hostium essent.

NARRATION XXII.

Devoted act of young T. Manlius.

(Rom. Hist. Titus L. book 7.)

Rome enjoys a profound peace, but the restlessness of the Tribunes keeps them ever on the search of pretexts for disturbing the general repose. After the dictatorship of L. Manlius, they cite him before the people, without any other alledged crime than that of keeping his son confined to the country. They hope that his severity in office would condemn him before the people, but their purpose is frustrated.

Ante omnia invisum ipsum ingenium atrox, cognomenque Imperiosi grave liberæ civitati, ab ostentatione sævitiæ adscitum ; quam non magis in alienis, quàm in proximis, ac sanguine ipse suo exerceret ; criminique ei tribunus inter cætera dabat, Quòd filium juvenem nullius probri compertum, extorrem, urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu æqualium prohibitum, in opus servile, propè in carcerem atque in ergastulum dederit : ubi summo loco natus dictatorius juvenis quotidianâ miseriâ disceret, verè imperioso patre se natum esse. At quam ob noxam ? quia infacundior sit, et linguâ impromptus. Quod naturæ damnum utrùm nutriendum patri (si quicquam in eo humani esset) an cas-

tigandum, ac vexatione insigne faciendum fuisse? ne mutas quidem bestias minùs alere, ac fovere, si quid ex progenie suâ parùm prosperum sit. At, herclè, L. Manlium, malum malo augere filii : et tarditatem ingenii insuper premere ; et si quid in eo exiguum naturalis vigoris sit, id extinguere vitâ agresti, et rustico cultu, inter pecudes habendo.

Omnium potiùs his criminationibus, quàm ipsius juvenis irritatus est animus : quin contrâ se quoque parenti causam invidiæ atque criminum essee ægrè passus : ut omnes Dii hominesque scirent, se parenti opem latam quàm inimicis ejus malle ; capit consilium, rudis quidem atque agrestis animi, et quanquàm non civilis exempli, tamen pietate laudabile. Inscientibus cunctis cultro succinctus, manè in urbem, atque à portâ domum confestìm ad M. Pomponium tribunum pergit : janitori, opus esse sibi domino ejus convento extemplò, ait : nunciaret T. Manlium Lucii filium esse. Mox introductus (etenim percitum irâ in patrem spes erat, aut criminis aliquid novi, aut consilii ad rem agendam deferre) salute acceptâ redditâque, esse ait, quæ cum eo agere arbitris remotis velit. Procul indè omnibus abire jussis, cultrum stringit : et super lectum stans ferro intento, nisi in quæ ipse concepisset verba, juraret, se patris ejus accusandi causâ concilium plebis nunquàm habiturum, se eum extemplò transfixurum mi-

natur. Pavidus tribunus (quippe qui ferrum antè oculos micare, se solum, inermem, illum prævalidum juvenem, et quod haud minùs timendum erat, stolidè ferocem viribus suis cerneret) adjurat in quæ adactus est verba ; et præ se deindè tulit ; eâ vi subactum se incœpto destisse. Nec perindè, ut maluisset plebes, sibi suffragii ferendi de tàm crudeli et superbo reo potestatem fieri ; ita ægrè habuit filium id pro parente ausum ; eòque id laudabilius erat, quòd animum ejus tanta acerbitas patriâ nihil à pietate avertisset. Itaque non patri modò remissa causæ dictio est, sed ipsi etiam adolescenti ea res honori fuit ; Et quùm eo anno primùm placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri secundum in sex locis tenuit, nullis domi militiæque ad conciliandam gratiam meritis ; ut qui rure, et procul cætu hominum juventam egisset.

NARRATION XXIII.

Singular combat of T. Manlius with a Gaul.

(Rom. Hist. Titus L. book 5.)

The young T. Manlius, hastens to fulfil the hopes with which the people are disposed to honour him. He eagerly desires to signalize his courage.

The Gauls having come to attack the Romans, are frustrated in their designs by a signal act of his bravery.

Galli ad tertium lapidem Salariâ viâ trans pontem Anienis [1] castra habuêre. Dictator, quùm tumultus Galli causâ justitium edixisset, omnes juniores sacramento adegit, ingentique exercitu ab urbe profectus, in citeriore ripâ Anienis castra posuit. Pons in medio erat; neutris eum rumpentibus, ne timoris indicium esset. Prœlia de occupando ponte crebra erant; nec qui potirentur, incertis viribus satis discerni poterat. Tum eximiâ corporis magnitudine in vacuum pontem Gallus processit: et quantùm maximâ voce potuit, Quem nunc, inquit, Roma fortissimum virum habet, procedat agedùm ad pugnam, ut noster duorum eventus ostendat, utra gens bello sit melior.

Diù inter primores juvenum Romanorum silentium fuit, quùm et abnuere certamen verecrentur, et præcipuam sortem periculi petere nollent. Tum T. Manlius, L. filius qui patrem à vexatione tribunitiâ vindicaverat, ex statione ad dictatorem pergit: Injussu tuo, inquit, im-

---

[1] *Anienis*, The Teverone, is a River which flows from the hills of Tibur now Tivoli, and falls into the Tibur below Rome.

perator, extrà ordinem numquam pugnaverim, non si certam victoriam videam. Si tu permittis, volo ego illi belluæ ostendere, quandò adeò ferox præsultat hostium signis, me ex eâ familiâ ortum, quæ Gallorum agmen ex rupe Tarpeiâ dejecit. Tum dictator, Macte virtute, inquit, ac pietate in patrem, patriamque, T. Manli, esto. Perge et nomen Romanum invictum juvantibus Diis, præsta. Armant indè juvenem æquales: pedestre scutum capit, Hispano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam. Armatum adornatumque, adversùs Gallum stolidè lætum, et (quoniam id quoque memoriâ dignum antiquis visum est) linguam etiam ab irrisu exserentem, producunt. Recipiunt indè se ad stationem, et duo in medio armati, spetaculi magis more, quàm lege belli, destituuntur: nequaquàm visu ac specie æstimantibus pares. Corpus alteri magnitudine eximium, versicolori veste, pictisque et auro cælatis refulgens armis: media in altero militaris statura, modicaque in armis habilibus magis quàm decoris species. Non cantus, non exultatio, armorumque agitatio vana, sed pectus animorum, iræque tacitæ plenum, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis distulerat. Ubi constitêre inter duas acies, tot circa mortalium animis spe metuque pendentibus; Gallus, velut moles supernè imminens, projecto lævo scuto in advenientis arma hostis, vanum cæsìm cum ingenti sonitu ensem dejecit.

Romanus, mucrone surrecto, quùm scutum scuto imum perculisset, totoque corpore interior periculo vulneris factus, insinuasset se inter corpus armaque, uno alteroque subindè ictu ventrem atque inguina hausit, et in spatium ingens ruentem porrexit hostem. Jacentis indè corpus, ab omni aliâ vexatione intactum, uno torque spoliavit: quem respersum cruore, collo circumdedit suo. Defixerat pavor cum admiratione Gallos. Romani alacres ab statione obviam militi suo progressi, gratulantes laudantesque ad dictatorem perducunt. Inter carminum propemodùm incondita quædam militariter joculantes, Torquati cognomen auditum, celebratum deindè posteris etiam; familiæque honori fuit. Dictator coronam auream addidit donum, mirisque pro concione eam pugnam laudibus tulit.

NARRATION XXIV.

T. Manlius condemns his Son to death.

(Rom. Hist. Titus L. book 8.)

War being declared between the Romans, and the people of Latium, Manlius Torquatus, the consul, was charged with the command of the army, jointly with Decius his colleague. They forbade every officer and every soldier, under any pretext, to quit his ranks, even in the pursuit of their ene-

my. This measure seemed necessary to prevent the errors which might readily happen from the similarity of the two peoples. The Romans and the Latins spoke the same language, had the same manners, the same arms, and the same discipline. The wisdom of the order above given could not prevent the distress caused by the fate of the young and unfortunate Manlius.

Fortè inter cæteros turmarum præfectos, qui exploratum in omnes partes dimissi erant, T. Manlius Consulis filius suprà castra hostium cum suis turmalibus evasit, ità ut vix teli jactu ab statione proximâ abesset; ibi Tusculani erant equites; præerat Geminius Metius, vir tùm genere inter suos, tùm factis clarus. Is ubi Romanos equites insignemque inter eos præcedentem consulis filium (nàm omnes inter se, utique illustres viri, noti erant) cognovit. Unânè, ait, turmâ Romani cum Latinis, sociisque bellum gesturi estis? quid intereà consules, quid duo exercitus consulares agent? aderunt in tempore, Manlius inquit, et cum illis aderit Jupiter ipse fœderum à vobis violatorum testis, qui plus potest, polletque. Si ad Regillum lacum, ad satietatem vestram pugnavimus; hîc quoque efficiemus profectò, ne nimis acies vobis et collata signa nobiscum cordi sint. Ad ea Geminius paululùm ab suis equo provectus, Visne igitur dùm dies ista venit, quâ magno conatu exercitus moveatis, intereà tu ipse congredi mecum, ut nostro duo-

rum jam hinc eventu cernatur, quantùm eques Latinus Romano præstet? Movet ferocem animum juvenis, seu ira, seu detrectandi certaminis pudor, seu inexsuperabilis vis fati; oblitus itaquè imperii patrii, consulumque edicti, præceps ad id certamen agitur, quo vinceret an vinceretur, haud multùm interesset; equitibus cæteris velut ad spectaculum summotis, spatio quod vacui interjacebat campi, adversos concitant equos; et quùm infestis cuspidibus concurrissent, Manlii cuspis super galeam hostis, Metii trans cervicem equi elapsa est. Circumactis deindè equis, quùm prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit; ad cujus vulneris sensum quùm equus prioribus pedibus erectis magnâ vi caput quateret, excussit equitem: quem cuspide parmâque innixum, attollentem se ab gravi casu, Manlius ab jugulo, ità ut per costas ferrum emineret, terræ affixit, spoliisque lectis ad suos revectus, cum ovante gaudio turmâ in castra atque indè ad prætorium ad patrem tendit: ignarus fati futurique, laus an pœna merita esset. Ut me omnes, inquit, pater, tuo sanguine ortum vere ferrent, provocatus equestria hæc spolia capta ex hoste cæso porto. Quod ubi audivit consul, extemplò filium aversatus, concionem classico advocari jussit; quæ ubi frequens convenit, Quandòquidem, inquit, tu T. Manli, neque imperium consulare, neque majestatem patriam veritus,

adversùs edictum nostrum extrà ordinem in hostem pugnâsti; et quantùm in te fuit, disciplinam militarem, quâ stetit ad hanc diem Romana res, solvisti; meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut reipubl. mihi, aut mei, meorumque obliviscendum sit; nos potiùs nostro delicto plectemur, quàm respublica tanto suo damno nostra peccata luat; triste exemplum, sed in posterùm salubre juventuti erimus. Me quidem cùm ingenita caritas liberûm, tùm specimen istud virtutis deceptum vanâ imagine decoris in te movet. Sed quùm aut morte tuâ sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda; ne te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem culpâ tuâ prolapsam, pœnâ restituas. I, lictor, deliga ad Palum. Exanimati omnes tàm atroci imperio, nec aliter quàm in se quisque districtam cernentes securim; metu magis quàm modestiâ quievêre. Itaque, velut emerso ab admiratione animo, quùm silentio defixi stetissent, repentè postquàm cervice cæsâ fusus est cruor, tùm libero conquestu coortæ voces sunt, ut neque lamentis, neque exsecrationibus parceretur: spoliisque contectum juvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum concelebrari potest, structo extrà vallum rogo cremaretur: Manlianaque imperia non in præsentiâ modò horrenda, sed exempli etiam tristis in posterùm essent.

NARRATION XXV.

Decius devotes his Life.

(Rom. His. Titus L. book 8.)

THE two armies speedily come to a decisive battle. Manlius had the command of the left wing, whilst Decius took that of the right. Resolved to conquer or die, they had covenanted with an oath, that which ever of them should be pressed to a surrender, should devote himself as a victim by throwing himself into the midst of his enemies. The ancients believed that the general who would thus devote himself was sure of a victory for his army. It was thus that Codrus, the last King of Athens, was immolated for the safety of his country—Decius imitates this generous sacrifice.

MANLIUS dextro, Decius lævo cornu præerat, primò utrimquè æquis viribus, eodem ardore animorum gerebatur res : deindé ab lævo cornu hastati Romani, non ferentes impressionem Latinorum, se ad principes recepêre. In hâc trêpidatione Decius consul M. Valerium magnâ voce inclamat : Deorum, inquit, ope, Valeri, opus est : agedùm pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus devoveam. Pontifex eum togam prætextam sumere jussit, et velato capite, manu subter togam ad mentum exsertâ, super telum subjectum pedibus stantem sic dicere. Jane, Jupiter, Mars pater, Quirine,

Bellona, Lares, Divi Novensiles, Dii indigetes, Divi, quorum est potestas nostrorum, hostiumque, Diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroque, uti populo Romano Quiritium vim, victoriamque prosperetis: hostesque populi Romani Quiritium, terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ità pro republicâ Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium legiones auxiliaque hostium, mecum, Diis manibus Tellurique devoveo. Hæc ità precatus, lictores ire ad T. Manlium jubet, maturèque collegæ se devotum pro exercitu nunciare. Ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit. Conspectus ab utrâque acie aliquantô augustior humano visu, sicut cœlo missus piaculum omnis Deorum iræ, qui pestem ab suis aversam in hostes ferret. Ità omnis terror, pavorque cum illo latus, signa primò Latinorum, turbavit, deindè in totam penitùs aciem pervasit. Evidentissimum id fuit, quòd quâcumque equo invectus est, ibi haud secùs quâm pestifero sidere icti pavebant: ubi verò corruit obrutus telis, indè jam haud dubiè consternatæ cohortes Latinorum, fugam ac vastitatem latè fecerunt. Simul et Romani exsolutis religione animis, velut tùm primùm signo dato coorti pugnam integram ediderunt; nam et Rorarii procurrebant inter Antepilanos, addiderantque vires hastatis ac principibus;

et triarii genu dextro innixi, nutum consulis ad consurgendum exspectabant.

Procedente deindè certamine, quùm aliis partibus multitudo superaret Latinorum, Manlius consul, audito eventu collegæ, quùm, ut jus fasque erat, lacrymis non minùs quàm laudibus debitis prosecutus tam memorabilem mortem esset, paulisper addubitavit, an consurgendi jam Triariis tempus esset: deindè meliùs ratus integros eos ad ultimum discrimen servari, Accensos ab novissimâ acie antè signa procedere jubet. Qui ubi subiêre, extemplo Latini, tanquàm idem adversarii fecissent, Triarios suos excitaverunt: qui aliquandiù pugnâ atroci quùm et semetipsi fatigassent, et hastas aut præfregissent, aut hebetassent, pellerent vi tamen hostem, debellatum jam rati, perventumque ad extremam aciem; tùm consul Triariis, Consurgite nunc, inquit, integri adversùs fessos, memores patriæ parentumque et conjugum ac liberorum: memores consulis pro vestrâ victoriâ morte occumbentis. Ubi Triarii consurrexerunt integri, refulgentibus armis, nova ex improviso exorta acies receptis in intervalla ordinum Antepilanis, clamore sublato principia Latinorum perturbant; hastisque ora fodientes, primo robore virorum cæso, per alios manipulos velut inermes propè intacti evasêre: tantâque cæde perrupêre cuneos, ut vix quartam partem relinquerent hostium. Samnites quoquè sub

radicibus montis procul instructi præbuêre terrorem Latinis. Cæterùm inter omnes cives sociosque præcipua laus ejus belli penes consules fuit: quorum alter omnes minas, periculaque ab Diis superis, inferisque in se unum vertit: alter eâ virtute, eoque consilio in prælio fuit, ut facilè convenerit inter Romanos Latinosque, qui ejus pugnæ memoriam posteris tradiderunt, utrius partis T. Manlius dux fuisset, ejus futuram haud dubiè fuisse victoriam. Latini ex fugâ se Minturnas contulerunt; castra secundùm prælium capta, multique mortales ibi vivi oppressi, maximè Campani. Decii corpus ne eo die inveniretur, nox quærentes oppressit; postero die inventum inter maximam hostium stragem coopertum telis: funusque ei par morti, celebrante collegâ, factum est.

NARRATION XXVI.

(Rom. Hist. Titus L. book 9.)

The Roman army passes under the Yoke, at Caudinæ Furculæ.

The Romans having subjected the several peoples who surrounded them, resolve on the entire subjugation of Italy. They attack the Samnites,[1]

[1] The Samnites inhabited the country which is now called Abbruzza, between Latium and Apulia.

who being descended from the Lacedæmonians, were warlike and jealous of their liberty, and gave to the Romans the most obstinate resistance. The most distinguished act of their war was that which took place at Caudinæ Furculæ[1]. Never was the pride of the Romans more humbled than at that time.

Duæ ad Luceriam[2] ferebant viæ, altera præter oram superi maris patens apertaque ; sed quantò tutior, tantò ferè longior : altera per Furculas Caudinas brevior. Sed ità natus locus est saltus duo alti, angusti, sylvosique sunt ; montibus circà perpetuis inter se juncti ; jacet inter eos patens clausus in medio campus herbidus, aquosusque, per quem medium iter est ; sed antè quàm venias ad eum, intrandæ primæ angustiæ sunt, et aut eadem, quâ te insinuaveris, retrò via repetenda, aut si ire porrò pergas, per alium saltum arctiorem, impeditioremque evadendum. In eum campum viâ aliâ per cavam rupem Romani demisso agmine, quùm ad alias angustias protinùs pergerent, septas dejectu arborum saxorumque ingentium objacente mole invenère, quùm fraus hostilis apparuisset, præsidium etiam in summo saltu conspicitur. Citati indè retrò quâ venerant, pergunt repetere viam;

---

[1] Caudinæ Furculæ. These were two very narrow passages in the valley of Gardano, in the Kingdom of Naples. It is now called the Streights of Arpaia.

[2] Luceriam, now Luceradelli-Pugani, a city of the Kingdom of Naples.

eam quoquè clausam suo obice, armisque inveniunt ; sistunt indè gradum sine ullius imperio, stuporque omnium animos, ac velut torpor quidam insolitus membra tenet : intuentesque alii alios (quùm alterum quisque magis mentis compotem ac consilii ducerent) diù immobiles silent. Deindè, ubi prætoria Consulum erigi vidêre, et expedire quosdam utilia operi, quamquàm ludibrio fore munientes perditis rebus ac spe omni ademptâ cernebant ; tamen ne culpam malis adderent, pro se quisque, nec hortante ullo nec imperante, ad muniendum versi, castra propter aquam vallo circumdant ; sua ipsi opera, laboremque irritum (præterquàm quod hostes superbè increpabant) cum miserabili confessione eludentes. Ad Consules mœstos, ne advocantes quidem in consilium (quandò nec consilio, nec auxilio locus esset) suâ spontè legati, ac Tribuni conveniunt : militesque in prætorium versi, opem, quam vix Dii immortales ferre poterant, ab ducibus exposcunt.

Querentes magis quàm consultantes nox oppressit ; quùm pro ingenio quisque fremerent, alius, per obices viarum : alius per adversa montium, per sylvas, quà ferri arma poterunt, eamus. Modò ad hostem pervenire liceat, quem per annos jam propè triginta vicimus, omnia æqua ac plana erunt Romano, in perfidum Samnitem pugnanti ; alius, Quò, aut quà eamus ? Nùm montes moliri sede suâ

paramus ? Dùm hæc imminebunt juga, quâ tu ad hostem venies ? Armati, inermes, fortes, ignavi, pariter omnes capti atque victi sumus. Ne ferrum quidem ad benè moriendum oblaturus est hostis : sedens bellum conficiet. His invicem sermonibus, quà cibi, quà quietis immemor, nox traducta est. Ne Samnitibus quidem consilium in tam lætis suppetebat rebus ; itaquè universi Herennium Pontium, patrem imperatoris, per litteras consulendum censent. Jam is gravis annis, non militaribus solùm, sed civilibus quoque abscesserat muneribus : in corpore tamen affecto vigebat vis animi, consiliique. Is ubi accepit, ad Furculas Caudinas inter duos saltus clausos esse exercitus Romanos, consultus ab nuncio filii, censuit omnes indè quamprimùm inviolatos dimittendos ; quæ ubi spreta sententia est, iterumque eodem remeante nuncio consulebatur, censuit ad unum omnes interficiendos. Quæ ubi tam discordia inter se, velut ex ancipiti oraculo, rèsponsa data sunt ; quamquàm filius ipse in primis jam animum quoque patris consensuisse in affectò corpore rebatur ; tamen consensu omnium victus est, ut ipsum in concilium acciret. Nec gravatus senex, plaustro in castra dicitur advectus : vocatusque in concilium, ità fermè locutus esse, ut nihil sententiæ suæ mutaret ; caussas tantùm adjiceret : Priore se consilio, quod optimum duceret, cum potentissimo populo per ingens beneficium per-

petuam firmare pacem, amicitiamque : altero consilio, in multas ætates, quibus, amissis duobus exercitibus haud facilè receptura vires Romàna res esset, bellum differre : tertium nullum consilium esse. Quùm filius aliique principes percunctando exsequerentur, Quid, si media via consilii caperetur ? ut et dimitterentur incolumes, et leges iis jure belli victis imponerentur ? ista quidem sententia, inquit, ea est, quæ nequè amicos parat, nequè inimicos tollit. Servate modò, quos ignominiâ irritaveritis ; ea est Romana gens, quæ victa quiescere nesciat. Vivet semper in pectoribus illorum quicquid istùc præsens necessitas inusserit : neque eos antè multiplices pœnas expetitas à vobis quiescere sinet. Neutra sententia accepta.

Herennius domum è castris est avectus. Et in castris Romanis, quùm frustrà multi conatus ad erumpendum capti essent, et jam omnium rerum inopia esset ; victi necessitate legatos mittunt, qui primùm pacem æquam peterent, si pacem non impetrarent, uti provocarent ad pugnam. Tùm Pontius, debellatum esse respondit : et quoniàm ne victi quidem ac capti fortunam fateri scirent, inermes cum singulis vestimentis sub jugum missurum : alias conditiones pacis æquas victis ac victoribus fore ; agro Samnitium decederetur, coloniæ abducerentur, suis deindè legibus Romanum ac Samnitem æquo fœdere victurum.

His conditionibus paratum se esse fœdus cum consulibus ferire: si quid eorum displiceat, legatos redire ad se vetuit. Hæc quùm legatio renunciaretur, tantus gemitus omnium subitò exortus est, tantaque mœstitia incessit, ut non graviùs accepturi viderentur, si nunciaretur omnibus eo loco mortem oppetendam esse. Quùm diù silentium fuisset, nec consules aut pro fœdere tam turpi, aut contrà fœdus tam necessarium hiscere possent; tùm L. Lentulus, qui tùm princeps legatorum virtute atque honoribus erat: Patrem meum, inquit, consules, sæpè audivi memorantem, se in Capitolio unum non fuisse auctorem senatui redimendæ auro à Gallis civitatis, quandò nec fossâ valloque ab ignavissimo ad opera ac muniendum hoste clausi essent, et erumpere si non sine periculo magno, tamen sine certâ pernicie possent. Quòd si ut illis decurrere ex Capitolio armatis in hostem licuit (quo sæpè modo obsessi in obsidientes eruperunt) ità nobis æquo aut iniquo loco dimicandi tantummodò cum hoste copia esset, non mihi paterni animi indoles in consilio dando deesset. Equidem mortem pro patriâ præclaram esse fateor: et me vel devovere pro populo Romano, legionibusque, vel in medios me immittere hostes paratus sum. Sed hìc patriam video: hìc quidquid Romanarum legionum est; quæ, nisi pro seipsis ad mortem ruere volunt, quid habent quod morte suâ servent? Tecta urbis dicat aliquis, et mœnia et eam turbam, à quâ

urbs incolitur; imò herculè produntur ea omnia deleto hoc exercitu, non servantur. Quis enim éa tuebitur? imbellis videlicet atque inermis multitudo; tàm herculè, quam à Gallorum impetu defendit. An à Veiis exercitum, Camillumque ducem implorabunt? Hìc omnes spes opesque sunt: quas servando, patriam servamus: dedendo ad necem, patriam deserimus, ac prodimus. At fœda atquè ignominiosa deditio est; sed ea caritas patriæ est, ut tàm ignominiâ eâm quàm morte nostrâ, si opus sit, servemus. Subeatur ergò ista quantacumque est indignitas: et pareatur necessitati, quam ne Dii quidem superant. Ite, consules, redimite armis civitatem, quam auro majores vestri redemerunt.

Consules profecti ad Pontium in colloquium quùm de fœdere victor agitaret, negârunt, injussu populi fœdus fieri posse: nec sine fecialibus, cærimoniâque aliâ solemni. Itaquè, non, ut vulgò credunt, Claudiusque etiam scribit, fœdere pax Caudina, sed per sponsionem facta est. Quid enim aut sponsoribus infœdere opus esset, aut obsidibus, ubi precatione res transigitur? per quem populum fiat, quò minùs legibus dictis stetur, ut eum ità Jupiter feriat, quemadmodùm à fecialibus porcus feriatur? Spoponderunt Consules, legati, quæstores, Tribuni militum: nominaque omnium, qui spoponderunt, extant: ubi, si ex fœdere acta res esset, præterquàm duorum fecialium

non exstarent ; et propter necessariam fœderis dilationem, obsides etiam sexcenti equites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur. Tempus indè statutum tradendis obsidibus, exercituque inermi mittendo. Redintegravit luctum in castris consulum adventus, ut vix ab iis abstinerent manus, quorum temeritate in eum locum deducti essent : quorum ignaviâ fœdiùs indè quàm venissent abituri, illis non ducem locorum, non exploratorem fuisse : belluarum modo cæcos in foveam missos. Alii alios intueri, contemplari arma mox tradenda, et inermes futuras dextras, obnoxiaque corpora hosti ; proponere sibimetipsi antè oculos jugum hostile, et ludibria victoris, et vultus superbos, et per armatos inermium iter. Indè fœdi agminis miserabilem viam per sociorum urbes, reditum in patriam, ad parentes, quò sæpè ipsi majoresque eorum triumphantes venissent. Se solos sine vulnere, sine ferro, sine acie victos ; sibi non stringere licuisse gladios, non manum cum hoste conferre : sibi nequicquàm arma, nequicquam vires, nequicquàm animos datos. Hæc frementibus hora fatalis ignominiæ advenit ; omnia tristiora experiundo factura, quàm quæ præceperant animis. Jam primùm cum singulis vestimentis inermes extrà vallum exire jussi : et primi traditi obsides, atque in custodiam abducti. Tùm à Consulibus abire lictores jussi, paludamentaque detracta, tantam inter ipsos, qui paulò

antè eos exsecrantes, dedendos, lacerandosque censuerant, miserationem fecit, ut suæ quisque conditionis oblitus, ab illâ deformatione tantæ majestatis, velut ab nefando spectaculo, averteret oculos.

Primi consules propè seminudi sub jugum missi: tùm ut quisque gradu proximus erat, ità ignominiæ objectus: tùm deinceps singulæ legiones: circumdabant armati hostes exprobrantes, eludentesque; gladii etiam plerisque intentati: et vulnerati quidam, necatique, si vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendisset. Ità traducti sub jugum, et quod penè gravius erat, per hostium oculos. Quùm ex saltu evasissent; etsi velut ab inferis extracti tùm primùm lucem aspicere visi sunt, tamen ipsa lux ità deforme intuentibus agmen omni morte tristior fuit. Itaquè quùm antè noctem Capuam pervenire possent, incerti de fide sociorum, et quod pudor præpediebat, circà viam haud procul Capuâ omnium egeni corpora humi prostraverunt. Quod ubi est Capuam[1] nunciatum, evicit miseratio justa sociorum superbiam ingenitam Campanis. Confestim insignia sua consulibus, fasces, lictores; arma, equos, vestimenta, commeatus

[1] Capua, once a city on the borders of the Campania, and now a borough called Santa-Maria di Capua, and about half a league from the former, situate upon the River Bolturnus, and within the Kingdom of Naples.

militibus benignè mittunt : et venientibus Capuam cunctus Senatus populusque obviam egressi, justis omnibus hospitalibus, privatisque et publicis, funguntur officiis, neque illis sociorum comitas, vultusque benigni, et alloquia non modò sermonem elicere, sed ne ut oculos, quidem attolerent, aut consolantes amicos contra intuerentur, efficere poterant. Adeò super mœrorem, pudor quidam fugere colloquia et cœtus hominum cogebat. Postero die quùm juvenes nobiles, missi à Capuâ, ut proficiscentes ad finem Campanum prosequerentur, revertissent ; vocatique in curiam, percunctantibus majoribus natu, multò sibi mœstiores et abjectioris animi visos referrent ; adeò silens, ac propè mutum agmen incessisse : Tacere indolem illam Romanam, ablatosque cum armis animos : non reddere salutem, non salutantibus dare responsum, non hiscere quemquam præ metu potuisse ; tanquàm ferentibus adhuc cervicibus jugum, sub quo emissi essent. Habere Samnites victoriam, non præclaram solùm, sed etiam perpetuam : cepisse enim eos non Romam, sicut antè Gallos, sed, quod multò bellicosius fuerit, Romanam virtutem, ferociamque.

Quùm hæc dicerentur, audirenturque, et deploratum penè Romanum nomen in concilio sociorum fidelium esset ; dicitur Ofilius Calavius, Ovii filius, clarus genere factisque, tùm etiam ætate verendus, longè aliter se habere rem dixisse. Silentium illud obstinatum fixos-

que in terram oculos, et surdas ad omnia solatia aures, et pudorem intuendæ lucis, ingentem molem irarum ex alto animi cientis, indicia esse ; aut se Romana ignorare ingenia, aut silentium illud Samnitibus flebiles brevi clamores gemitusque excitaturum : Caudinæque pacis aliquantò Samnitibus, quàm Romanis tristiorem memoriam fore. Quippè suos quemque coram animos habiturum, ubicumque congressuri sint ; saltus Caudinos non ubique Samnitibus fore. Jam et Romæ sua infamis clades erat. Obsessos primùm audierunt : tristior deindè ignominiosæ pacis magis, quàm periculi nuncius fuit. Ad famam obsidionis delectus haberi cœptus erat : dimissus deindè auxiliorum apparatus, postquàm deditionem tam fœdè factam acceperunt ; extemplòque, sine ullâ publicâ auctoritate, consensum in omnem formam luctûs est. Tabernæ circà forum clausæ ; justitiumque in foro suâ sponte cœptum, priusquâm indictum : lati clavi, annuli aurei positi, penè mœstior exercitu ipso civitas esse : nec ducibus solùm atque auctoribus sponsoribusque pacis irasci, sed innoxios etiam milites odisse, et negare urbe tectisve accipiendos. Quam concitationem animorum fregit adventus exercitûs, etiam iratis miserabilis ; non enim tanquàm in patriam revertentes ex insperato incolumes, sed captorum habitu vultuque ingressi serò in urbem, ità se in suis quisque tectis abdiderunt, ut postero atque

insequentibus diebus, nemo eorum forum, aut publicum adspicere vellet.

NARRATION XXVII.

(Rom. Hist. Justin book 18. 23. 25.)

War of Pyrrhus—year of Rome 472. A. C. 281.

THE Romans strive to avenge the affront received at Caudinæ Furculæ. After a war of forty-nine years they form a treaty of alliance with the Samnites.

THE city of Tarentum[1] having insulted the Roman ambassadors, the senate declares war against the Tarentines, who being unable to sustain it, implore the aid of Pyrrhus, king of Epirus.[2] This prince formed after the Alexandrian school, was desirous of signalizing himself, and gladly availed himself of the present occasion.

Pyrrhus rex Epiri, cùm iteratâ Tarentinorum legatione, additis Samnitium[3] et Lucanorum[4] precibus, et ipsis auxilio adversùs Romanos indigentibus fatigaretur, non tâm

---

1 Tarentum, a city in the eastern part of the kingdom of Naples.—

2 Epirus—now lower Albania a province of Turkey in Europe.

3 Samnitium, see note to page 189.

4 Lucanorum—The Lucanians inhabit the county of the Basilicate, a district of the kingdom of Naples, contiguous to Calabria.

supplicum precibus, quàm spe invadendi Italiæ imperii adductus, venturum se cum exercitu pollicetur. In quam rem inclinatum semel animum præcipitem agere cœperant exempla majorum : ne aut inferior patruo suo Alexandro videretur, quo defensore iidem Tarentini adversùs Brutios [1] usi fuerant ; aut minores animos Alexandro Magno habuisse, qui tam longâ à domo militiâ Orientem subegit. Igitur relicto custode regni filio Ptolemæo annos xv nato, exercitum in portu Tarentino exponit, duobus parvulis filiis Alexandro et Heleno in solatia longinquæ secum expeditionis adductis. Cujus audito adventu, Consul Romanus Valerius Lævinus, festinans ut priùs cum eo congrederetur, quàm auxilia sociorum convenirent, exercitum in acie educit. Nec rex, tametsi numero militum inferior esset, certamini moram fecit. Sed Romanos vincentes jam, inusitatâ ante elephantorum formâ stupere primò, mox cedere prælio coëgit ; victoresque jam nova Macedonum monstra repentè vicerunt. Nec hostibus incruenta victoria fuit, nam et ipse Pyrrhus graviter vulneratus est, et magna pars militum ejus cæsa ; majoremque gloriam ejus victoriæ, quàm lætitiam habuit. Hujus pugnæ eventum multæ civitates secutæ,

[1] Brutios, a people of Great Greece on the Calabrian side.

Pyrrho se tradunt. Inter cæteras etiam Locri[1], prodìto præsido Romano, ad Pyrrhum deficiunt. Ex eâ prædâ Pyrrhus ducentos captivos milites Romam gratis remisit ; ut cognitâ virtute ejus, Romani etiam cognoscerent liberalitatem. Interjectis deindè diebus, cùm sociorum exercitus supervenisset, iteratò prælium cum Romanis facit, in quo par fortuna priori bello fuit.

Intereà Mago dux Carthaginiensium, in auxilium Romanorum cum cxx navibus missus , Senatum adiit, ægré tulisse Carthaginienses affirmans, quòd bellum in Italiâ à peregrino rege paterentur. Ob quam causam missum se, ut quoniam externo hoste oppugnarentur, externis auxiliis juvarentur. Gratiæ à senatu Carthaginiensibus actæ, auxiliaque remissa. Sed Mago, Punico ingenio, post paucos dies tacitus quasi pacificator Carthaginiensium, Pyrrhum adit, speculaturus consilia ejus de Siciliâ, quò eum arcessiri fama erat. Nam Romanis eadem causa mittendi auxilii Carthaginiensibus fuerat, ut Romano bello, ne in Siciliam transire posset Pyrrhus, in Italiâ detineretur. Dùm hæc aguntur, legatus à senatu Romano Fabricius Lucinus missus, pacem cum Pyrrho composuit. Ad quam confirmandam Cyneas Romam cum ingenti-

---

[1] Locri—now *Motta Di Burzano* on the Gierace gulph in Calabria.

bus à Pyrrho donis missus, neminem, cujus domus muneribus pateret, invenit. Huic continentiæ Romanorum simile exemplum, iisdem fermé temporibus fuit. Nam missi à Senatu in Ægyptum legati, cùm ingentia sibi à Ptolemæo rege missa munera sprevissent, interjectis diebus ad cœnam invitatis, aureæ coronæ missæ sunt ; quas illi honoris causâ receptas, posterâ die statuis regis imposuerunt. Igitur Cyneas cùm turbatam cum Romanis pacem ab Appio Claudio renunciasset, interrogatus à Pyrrho qualis Roma esset, respondit, Regum urbem sibi visam. Post hæc legati Siculorum superveniunt, tradentes Pyrrho totius insulæ imperium, quæ assiduis Carthaginiensium bellis vexabatur. Itaqué relicto Locris Alexandro filio, firmatisque sociorum civitatibus valido præsidio, in Siciliam exercitum trajecit.

Cùm Syracusas venisset, multasque civitates subegisset, rex Siciliæ, sicut Epiri, appellatur. Quarum rerum felicitate lætus, Heleno filio Siciliæ, velut avitum (nam susceptus ex filiâ Agathoclis regis erat), Alexandro autem Italiæ regnum destinat. Post hæc multa secunda prælia cum Carthaginiensibus facit. Interjecto deinde tempore, legati ab Italicis sociis venêre nunciantes, Romanis resisti non posse. deditionemque futuram, nisi subveniat. Anxius tam ambiguo periculo, incertusque quid ageret, vel quibus primùm

subveniret, in utrumque pronus consultabat. Quippè instantibus hinc Carthaginiensibus, indè Romanis, periculosum videbatur, exercitum in Italiam non trajicere ; periculosiùs, à Siciliâ deducere ; ne aut illi non latâ ope, aut hi deserti amitterentur. In hoc æstu periculorum, tutissimus portus consiliorum visus est, omnibus viribus decernere in Siciliâ, et profligatis Carthaginiensibus, victorem exercitum transponere in Italiam. Itaquè conserto prælio, cùm superior fuisset, quoniam tamen à Siciliâ abiret, pro victo fugere visus est, ac propterea socii ab eo defecerunt ; et imperium Siciliæ tam citò amisit, quàm facilé quæsierat. Sed nec in Italiâ meliore felicitate usus, in Epirum revertitur. Admirabilis utriusque rei casus, in exemplum fuit. Nam sicut antè secunda fortuna, rebus suprà vota fluentibus, Italiæ Siciliæque imperium, et tot de Romanis victorias astruxerat : ità nunc adversa, velut in ostentationem fragilitatis humanæ, destruens quæ cumulaverat, Siciliensi ruinæ naufragium maris, et fœdam adversùs Romanos pugnam, turpemque ab Italiâ discessum adjecit.

NARRATION XXVIII.

The first Punic war, A. C. 264.

The Greatness of soul of Regulus.

(Rom. Hist. Cicero's offices book 3.)

THE Romans occupy themselves about 500 years in the subjugation of the different peoples of Italy.

THE succours given by the Carthaginians to the Tarentines serves as the pretext for the first Punic war whilst the conquest of Sicily was the real motive.

CARTHAGE[1] had been founded 137 years before Rome by a colony of Tyrians. This opulent city was at the head of commerce, whilst Africa[2] Sicily[3] Sardinia[4] and Spain[5] were but tributaries. She alone held the Empire of the seas.

AT this time the Romans were utterly ignorant of maritime affairs. But chancing to find the

---

1 Carthage—see page 61.

2 Africa, one of the four quarters of the world, is bounded on the north by the Mediterranean, on the west and the south by the Ocean, and on the east by the Red Sea and isthmus of Suez.

3 Sicily—Is the largest isle in the Mediterranean, and lies between Africa and Italy.—

4 Sardinia—isa large Isle of the Mediterranean, southward of Corsica. It lies between Spain on the west and Italy on the east.

5 Spain—a large kingdom of Europe, at the south west extremity.

wreck of a Carthaginian galley cast uponthe coast of Italy, they speedily build from it as a model a fleet sufficient to give battle to the Carthaginians and even to carry the war into Africa itself. At first they are successful; but Xantippus a Lacedemonian officer, having taken command against them, the Romans are defeated and their general is made prisoner.

THE victors send him on his parole of honour to treat for an exchange of prisoners—behold, now the rare example which this great man gives of his fidelity to his engagements.

M. Atilius Regulus, cùm consul iterùm in Africâ ex insidiis captus esset, duce Xantippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Annibalis Hamilcare, juratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is, cùm Roman venisset, utilitatis speciem videbat; sed eam, ut res declarat, falsam judicavit: quæ erat talis. Manere in patriâ, esse domi suæ cum uxore, cum liberis, quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunæ bellicæ judicantem, tenere consularis dignitatis gradum, quis hæc neget esse utilia? quid censes? magnitudo animi et fortitudo negat. Nùm locupletiores quæris auctores? Harum enim est virtutum proprium, nil extimescere, omnia humana despicere, nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. Itaquè quid fecit? In senatum venit: mandata exposuit: sententiam ne diceret, recusavit:

quamdiù jurejurando hostium teneretur, non esse senatorem. Atque illud etiam (ô stultum hominem, dixerit quispiam, et repugnantem utilitati suæ !) reddi captivos, negavit esse utile : illos enim adolescentes esse, et bonos duces, se jam confectum senectute. Cujus quùm valuisset auctoritas, captivi retenti sunt : ipse Carthaginem rediit : neque eum caritas patriæ retinuit, nec suorum. Nequè verò tùm ignorabat, se ad crudelissimum hostem, et ad exquisita supplica proficisci, sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque tùm, cùm vigilando necabatur, erat in meliore causâ, quâm si domi senex captivus, perjurus consularis remansisset.

NARRATION XXIX.

Hannibal joins the Spanish army, in the year of Rome 534, *A. C.* 218.

(Rom. Hist. Titus L. book 21.)

After twenty-four years war, the Carthaginians solicit and obtain a peace, wherein they surrender to the Romans Sicily[1] and Sardinia[2]; but this was of but short duration. The Carthaginians only purposed to gain time that they might recruit

---

1 See note to page 205.
2 See the note to same page.

their strength.—They therefore soon renewed the war. In this war we are first made acquainted with Hannibal, one of the greatest captains of antiquity.

Missus Annibal in Hispaniam, primo statim adventu omnem exercitum in se convertit. Amilcarem viventem redditum sibi veteres milites credere ; eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamentaque intueri. Dein brevi effecit, ut pater in se minimum monumentum ad favorem conciliandum esset. Nunquàm ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. Itaquè haud facilè decerneres, utrum imperatori, an exercitui carior esset : neque Asdrubal alium quemquam preficere malle, ubi quid fortiter ac strenuè agendum esset : nequè milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimùm audaciæ ad pericula capessenda, plurimùm consilii inter ipsa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par : cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus : vigiliarum somnique nec die, nec nocte discriminata tempora. Id quod gerendis rebus superesset, quieti datum : ea nequè mōlli strato, neque silentio arcessita. Multi sæpè militari sagulo opertum humi jacentem inter custodias, stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter æquales excellens : arma

atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longè primus erat. Princeps in prælium ibat : ultimus conserto prælio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant ; inhumana credulitas, perfidia plus quàm Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus Deûm metus, nullum jusjurandum, nulla religio. Cum hâc indole virtutum atque vitiorum, triennio sub Asdrubale imperatore meruit ; nullâ re, quæ agenda, videndaque magno futuro duci esset, prætermissâ.

NARRATION XXX.

Siege and capture of Saguntum[1] *in the year of Rome* 534, *A. C.* 218.

(Rom. Hist. Titus L. book 21.)

Civitas ea longè opulentissima ultrà Iberum[2] fuit, sita passus mille fermè à mari. O-

[1] Saguntum. Its ruins are near Murvidera in Valencia.

[2] Iberum. The Ebro is one of the most considerable rivers of Spain. It takes its rise in the province of Biscay, and falls into the Mediterranean.

riundi à Zacyntho[1] insulâ dicuntur, mixtique etiam ab Ardeâ[2] Rutulorum quidam generis. Cæterùm in tantas brevi creverant opes, seu maritimis, seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento, seu sanctitate disciplinæ, quâ fidem socialem usque ad perniciem suam coluerunt. Annibal infesto exercitu ingressus fines, pervastatis passìm agris, urbem tripartito aggreditur. Angulus muri erat in planiorem patentioremque, quàm cætera circà vallem vergens. Adversùs eum vineas agere instituit, per quas aries mœnibus admoveri posset. Sed ut locus procul muro satis æquus agendis vineis fuit; ità haud quaquàm prosperè, postquàm ad effectum operis ventum est, cœptis succedebat. Et turris ingens imminebat: et murus, ut in suspecto loco, suprà cæteræ modum altitudinis emunitus erat: et juventus delecta, ubi plurimùm periculi ac laboris ostendebatur, ibi vi majore obsistebant. Ac primò militibus summovere hostem: nec quicquàm satis tutum munientibus pati. Deindè jam non pro mœnibus modò atque turri tela micare, sed ad erumpendum etiam in stationes operaque hostium animus erat: quibus tumultuariis cer-

---

[1] Zacyntho—Zante, is an island N. W. of the Morea.

[2] Ardea; formerly the capital of the Rutulii, is now a small village between Ostia, and Antio-Ruinato, in the Campania of Rome.

taminibus haud fermè plures Saguntini cadebant, quam Pœni. Ut verò Annibal ipse, dùm murum incautiùs subit, adversum femur tragulâ graviter ictus cecidit: tanta circà fuga ac trepidatio fuit, ut non multùm abesset, quin opera ac vineæ desererentur.

Obsidio deindè per paucos dies magis quàm oppugnatio fuit, dùm vulnus ducis curaretur. Per quod tempus ut quies certaminum erat, ità ab apparatu operum ac munitionum nihil cessatum. Itaquè acrius de integro obortum est bellum, pluribusque partibus, vix accipientibus quibusdam opera locis, vineæ cœptæ agi, admoverique aries. Abundabat multitudine hominum Pœnus; ad centum enim quinquaginta millia habuisse in armis satis creditur. Oppidani ad omnia tuenda atque obeunda multimodâ arte distineri cœpti sunt: et non sufficiebant. Jam enim feriebantur arietibus muri. Quassatæ quoque multæ partes erant. Una continentibus ruinis nudaverat urbem: tres deinceps turres, quantumque inter eas muri erat, cum fragore ingenti prociderant: captumque oppidum eâ ruinâ crediderant Pœni, quâ, velut si pariter utrosque murus texisset, ità utrimque in pugnam procursum est. Nihil tumultuariæ pugnæ simile erat, quales in oppugnationibus urbium per occasionem partis alterius censeri solent: sed justæ acies, velut patenti campo, inter ruinas muri tecta-

que urbis modico distantia intervallo constiterant. Hinc spes, hinc desperatio animos irritat: Pœno cepisse jam se urbem, si paululùm adnitatur, credente; Saguntinis pro nudatâ mœnibus patriâ corpora opponentibus, nec ullo pedem referente, ne relicto à se loco hostem immitteret. Itaquè quò acriùs et confertìm magis utrimque pugnabant, eò plures vulnerabantur; nullo inter arma corporaque vano intercidente telo. Falarica erat Saguntinis, missile telum hastili oblongo, et cætera tereti; præterquàm ad extremum, undè ferrum exstabat. Id, sicut in pilo, quadratum stuppâ circumligabant, linèbantque pice. Ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut eum armis transfigere corpus posset. Sed id maximè etiam si hæsisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pavorem faciebat: quod quùm medium accensum mitteretur, conceptumque ipso motu multò majorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad insequentes ictus præbebat.

Quùm ergo diù anceps fuisset certamen, et Saguntinis, quia præter spem resisterent, crevissent animi; Pœnus, quia non vicisset, pro victo esset; clamorem repentè oppidani tollunt, hostemque in ruinas muri expellunt, indè impeditum trepidantemque exturbant: postremò fusum fugatumque in castra redigunt. Interìm ab Româ legatos venisse nunciatum est. Quibus obviàm ad mare missi ab Anni-

bale, qui dicerent, nec tutò eos adituros inter tot tam effrænatarum gentium arma: Annibali, tanto discrimine rerum, operæ esse legationes audire. Apparebat, non admissos protinùs Carthaginem ituros. Litteras igitùr nunciosque ad principes factionis Barcinæ præmittit, ut præpararent suorum animos, ne quid pars altera gratificari pro Romanis posset.

Itaquè, præterquàm quod admissi auditique sunt; ea quoque vana atque irrita legatio fuit.

. . . . . .

Responsum legatis Romanis est, Bellum ortum ab Saguntinis, non ab Annibale esse. Populum Romanum injustè facere, si Saguntinos vetustissimæ Carthaginiensium societati præponat. Dùm Romani tempus terunt legationibus mittendis, Annibal, quia fessum militem præliis operibusque habebat, paucorum iis dierum quietem dedit; stationibus ad custodiam vinearum, aliorumque operum dispositis. Interîm animos eorum nunc irâ in hostes stimulando, nunc spe præmiorum accendit. Ut verò pro concione prædam captæ urbis edixit militum fore, adeò accensi omnes sunt, ut si extemplô signum datum esset, nullâ vi resisti videretur posse. Saguntini ut à prælis quietem habuerant, nec lacessentes, nec lacessiti per aliquot dies; ità non nocte, non die unquàm cessaverant ab opere, ut novum murum ab eâ parte, quâ patefactum oppidum ruinis erat, reficerent.

Indè oppugnatio eòs aliquantò atrocior, quàm ante, adorta est : nec quà primum, aut potissimum parte ferrent opem (quùm omnia variis clamoribus streperent) satis scire poterant. Ipse Annibal, quâ turris mobilis omnia munimenta urbi superans altitudine agebatur, hortator aderat. Quæ quùm admota, catapultis balistisque per omnia tabulata dispositis, muros defensoribus nudasset : tùm Annibal occasionem ratus, quingentos fermè Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit. Nec erat difficile opus, quod cæmenta non calce durata erant, sed interlita luto, structuræ antiquæ genere. Itaquè latiùs quàm cæderetur ruebat : perque patentia ruinis agmina armatorum in urbem vadebant. Locum quoque editum capiunt : collatisque eo catapultis balistisque, ut castellum in ipsâ urbe velut arcem imminentem haberent, muro circumdant : et Saguntini murum interiorem ab nondùm captâ urbis parte ducunt. Utrimque summâ vi et muniunt et pugnant : sed interiora tuendo, minorem in dies urbem Saguntini faciunt. Simul crescit inopia omnium longâ obsidione, et minuitur exspectatio externæ opis, quùm tàm procul Români, unica spes, circà omnia hostium essent. Paulisper tamen affectos animos recreavit repentina profectio Annibalis in Oretanos, Carpetanosque. Qui duo populi delectûs acerbitate consternati, retentis conquisitoribus, metum defectionis quùm præ-

buissent, oppressi celeritate Annibalis, omiserunt mota arma.

Nec Sagunti oppugnatio segnior erat, Maharbale, Himilconis filio, quem præfecerat Annibal, ità impigrè rem agente, ut ducem abesse nec cives, nec hostes sentirent. Is et prælia aliquot secunda fecit, et tribus arietibus aliquantulùm muri discussit, strataque omnia recentibus ruinis advenienti Annibali ostendit. Itaquè ad ipsam arcem extemplò ductus exercitus, atroxque prælium cum multorum utrimque cæde initum, et pars arcis capta est. Tentata deindè per duos est exigua pacis spes, Alconem Saguntinum, et Alorcum Hispanum. Alcon, insciis Saguntinis, precibus aliquid moturum ratus, quum ad Annibalem noctù transisset, postquàm nihil lacrymæ movebant, conditionesque tristes, ut ab irato victore ferebantur, trasfuga ex oratore factus, apud hostem mansit; moriturum affirmans, qui sub conditionibus his de pace ageret. Postulabatur autem, redderent res Turdetanis; traditoque omni auro atque argento, egressi urbe cum singulis vestimentis ibi habitarent, ubi Pœnus jussisset. Has pacis leges abnuente Alcone accepturos Saguntinos, Alorcus, vinci animos, ubi alia vincantur, affirmans, se pacis ejus interpretem fore pollicetur. Erat autem tùm miles Annibalis; ceterùm publicè Saguntinis amicus atque hospes. Tradito palàm telo custodibus hostium, transgressus

munimenta, ad prætorem Saguntinum (et ipse ità jubebat) est deductus: quò quùm extemplò concursus omnis generis hominum esset factus, summotâ ceterâ multitudine, senatus Alorco datus est; cujus talis oratio fuit.

Si civis vester Alcon, sicut ad pacem petendam ad Annibalem venit, ita pacis conditiones ab Annibale ad vos retulisset, supervacaneum hoc mihi fuisset iter, quo nec orator Annibalis, nec transfuga ad vos venissem. Quùm ille, aut vestrâ aut sua culpâ, manserit apud hostem: si metum simulavit, suâ; vestrâ, si periculum est apud vos vera referentibus: ego, ne ignoraretis, esse aliquas et salutis et pacis vobis conditiones, pro vetusto hospitio, quod mihi vobiscum est, ad vos veni. Vestrâ autem causâ me, nec ullius alterius, loqui, quæ loquor apud vos, vel ea fides sit, quòd, nequè dùm vestris viribus restitistis, nequè dùm auxilia ab Romanis sperastis, pacis unquàm apud vos mentionem feci. Postquàm nec ab Romanis vobis ulla spes est, nec vestra jam aut àrma vos, aut mœnia satis defendunt, pacem affero ad vos magis necessariam, quàm æquam; cujus ità aliqua spes est, si eam quemadmodùm ut victor fert Annibal, sic vos ut victi audiatis: si non id, quod amittitur, in damo (quùm omnia victoris sint) sed, quidquid relinquitur, pro munere habituri estis. Urbem vobis, quam ex magnâ jam parte dirutam, captam ferè totam habet, adimit; agros

relinquit locum assignaturus, in quo novum oppidum ædificetis : aurum argentumque omne, publicum privatumque, ad se jubet deferri: conjugum vestraque corpora ac liberorum vestrorum servat inviolata, si inermes eum binis vestimentis velitis ab Sagunto exire. Hæc Victor hostis imperat, hæc, quamquàm sint gravia atque acerba, fortuna vestra vobis suadet. Equidem haud despero, quùm omnium potestas ei facta sit, aliquid ex his rebus remissurum. Sed vel hæc patienda censeo potiùs, quàm trucidari corpora vestra, rapi trahique antè ora vestra conjuges ac liberos belli jure sinatis.

Ad hæc audienda quùm, circumfusâ paulatìm multitudine, permixtum senatui esset populi concilium, repentè primores, secessione factâ, priusquàm responsum daretur, argentum aurumque omne, ex publico privatoque in forum collatum, in ignem ad id raptìm factum conjicientes, eòdem plerique semetipsi præcipitaverunt. Quùm ex eo pavor ac trepidatio totam urbem pervasisset, alius insuper tumultus ex arce auditur. Turris diù quassata prociderat : perque ruinam ejus cohors Pœnorum impetu facto quùm signum imperatori dedisset, nudatam stationibus custodiisque solitis hostium esse urbem ; non cunctandum in tali occasione ratus Annibal, totis viribus aggressus urbem, momento cepit, signo dato, ut omnes puberes interficerentur, quod imperi-

um crudele, cæterum propè necessarium cognitum ipso eventu est. Cui enim parci potuit ex iis, qui aut inclusi cum conjugibus ac liberis domos super seipsos concremaverunt, aut armati nullum antè finem pugnæ, quam morientes, fecerunt?

Octavo mense quam cœptum oppugnari, captum Saguntum.

NARRATION XXXI.

Passage of the Rhone, year of Rome, 534, A. C. 218.

(Rom. Hist. Titus L. book 21.)

HANNIBAL after the capture of Saguntum traverses Spain, passes the Pyrenees, and arrives in Gaul, where he strives to win over the inhabitants. His passage of the Rhone, and of the Alps, where he encountered innumerable perils, has placed his exploits among the most celebrated in the page of history.

Ubi Romam perlatum est Annibalem Iberum transisse, P. Cornelius, profectus ab urbe sexaginta longis navibus præter oram Etruriæ[1],

[1] *Etruriæ*, a considerable country in Italy, encompassed on the N. & E. by the Papal state, and on the S. & W. by the Mediterranean.

Ligurumque[1], et indè Salyum[2] montes, pervenit Massiliam[3], et ad proximum ostium Rhodani[4] (pluribus enim divisus amnis in mare decurrit) castra locat: vixdùm satis credens Annibalem superasse Pyrenæos montes: quem ut de Rhodani quoque transitu agitare animadvertit; incertus, quonam ei loco occurreret, necdùm satis refectis ab jactatione maritimâ militibus, trecentos interim delectos equites, ducibus Massiliensibus et auxiliaribus Gallis, ad exploranda omnia, visendosque ex tuto hostes præmittit. Annibal, cæteris metu aut pretio pacatis, jam in Volcarum pervenerat agrum gentis validæ. Colunt autem circa utramque ripam Rhodani: sed diffisi citeriore agro arceri Pœnum posse, ut flumen pro mu-

---

[1] Ligurum, a people of Liguria, in Italy. It was divided into two districts: Liguria on this side of the Apenines, now Mount Ferrat, and Liguria, on the other side of the Apenines, now the Republick of Genoa.

[2] Salyum Montes, in Gaul, now in the country of Aix, in Provence.

[3] Massiliam, Marseilles in Provence, founded by the Phocians about the year A. C. 600.

[4] Rhodani. The Rhone, a large river of France, which takes its rise in the eastern extremity of the Valais, and passes through the Lake of Geneva, thence by Lesor Vienna, Valence, Avignon and a part of Provence; and flows into the Mediterranean, to the southward of Marseilles.

nimento haberent, omnibus fermè suis trans Rhodanum trajectis, ulteriorem ripam amnis armis obtinebant. Cæteros accolas fluminis Annibal, et eorum ipsorum qui sedes tenuerant, simul perlicit donis ad naves undique contrahendas fabricandasque; simul et ipsi trajici exercitum, levarique quamprimùm regionem suam tantâ urgente hominum turbâ cupiebant. Itaquè ingens coacta vis navium est, lintriumque temerè ad vicinalem usum paratarum: novasque alias primùm Galli inchoantes cavabant ex singulis arboribus: deindé et ipsi milites, simul copiâ materiæ, simul facilitate operis inducti, alveos informes (nihil dummodò innare aquæ et capere onera possent curantes) quibus se suaque transveherent, raptim faciebant.

Jamque omnibus satis comparatis ad trajiciendum, terrebant ex adverso hostes, omnem ripam equites virique obtinentes: quos ut averteret, Hannonem Bomilcaris filium, vigiliâ primâ noctis, cum parte copiarum, maximè Hispanis, adverso flumine ire iter unius diei jubet: et ubi primùm posset, quàm occultissimè trajecto amni, circumducere agmen; ut quùm opus facto sit, adoriatur ab tergo hostem. Ad id dati duces Galli educunt indè millia quinque et viginti, fermè suprà parvæ insulæ circumfusum amnem latiorem ubi dividebatur, eoque minùs alto alveo, transitum ostendere. Ibi raptìm cæsa materia, ra-

tesque fabricatæ, in quibus equi virique et alia onera trajicerentur. Hispani, sine ullâ mole in utres vestimentis conjectis, ipsi cetris suppositis incubantes, flumen tranavêre. Et alius exercitus ratibus junctis trajectus, castris propè flumen positis, nocturno itinere atque operis labore fessus, quiete unius diei reficitur; intento duce ad consilium opportunè exsequendum. Postero die profecti ex loco, prodito fumo significant se transisse, et haud procul abesse. Quod ubi accepit Annibal, ne tempori deesset, dat signum ad trajiciendum. Jam paratas aptatasque habebat pedes lintres; equites ferè propter equos nantes navium agmen ad excipiendum adversi impetum fluminis parte superiore transmittens, tranquillitatem infrà trajicientibus lintribus præbebat. Equorum pars magna nantes loris à puppibus trahebantur; præter eos, quos instratos frenatosque, ut extemplò egresso in ripam equiti usui essent, imposuerant in naves.

Galli occursant in ripam cum variis ululatibus cantuque moris sui; quatientes scuta super capita, vibrantesque dextris tela; quamquàm et ex adverso terrebat tanta vis navium cum ingenti sono fluminis, et clamore vario nautarum et militum, qui nitebantur perrumpere impetum fluminis, et qui ex alterâ ripâ trajicientes suos hortabantur. Jam satis paventes adverso tumultu, terribilior ab tergo adortus clamor, castris ab Harnone captis.

Mox et ipse aderat, ancepsque terror circumstabat : et e navibus tanta vis armatorum in terram evadens, et ab tergo improvisa premebat acies. Galli, postquàm ultrò vim facere conati, pellebantur ; quia patere visum maximè iter, perrumpunt, trepidique in vicos passìm suos diffugiunt. Annibal. cœteris copiis per otium trajectis, spernens jam Gallicos tumultus, castra locat. Elephantorum trajiciendorum varia consilia fuisse credo : certè variata memoria actæ rei. Quidam congregatis ad ripam elephantis ; tradunt ferocissimum ex iis irritatum ab rectore suo, quùm refugientem in aquam nantem sequeretur, traxisse gregem, ut quemque timentem altitudinem destituerat vadum, impetu ipso fluminis in alteram ripam rapiente. Cæterum magis constat, ratibus trajectos: id, ut tutius consilium antè rem foret ; ita actâ re, ad fidem pronius est. Ratem unam ducentos longam pedes, quinquaginta latam, à terra in amnem porrexerunt : quem, ne secundâ aquâ deferretur, pluribus validis retinaculis parte superiore ripæ religatam, pontis in modum humo injecta constraverunt, ut belluæ audacter velut per solum ingrederentur. Altera ratis æquè lata, longa pedes centum, ad trajiciendum flumen apta, huic copulata est : et quùm elephanti per stabilem ratem, tanquàm viam, prægredientibus feminis, acti, in minorem applicatam transgressi sunt ; extemplò resolutis, quibus leviter

annexa erat, vinculis, ab actuariis aliquot navibus ad alteram ripam pertrahitur : ita primis expositis, alii deindè repetiti ac trajecti sunt. Nihil sanè trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur. Primus erat pavor, quùm solutâ ab cæteris rate in altum raperentur. Ibi urgentes inter se, cedentibus extremis ab aquâ, trepidationem aliquantùm edebant ; donec quietem ipse timor circumspicientibus aquam fecisset. Excidêre etiam sævientes quidam in flumen. Sed pondere ipso stabiles, dejectis rectoribus, quærendis pedetentim vadis, in terram evasêre.

Dùm elephanti trajiciuntur, interìm Annibal Numidas equites quingentos ad castra Romana miserat speculatum, ubi et quantæ copiæ essent, et quîd pararent. Huic alæ equitum missi, ut antè dictum est, ab ostio Rhodani trecenti Romanorum equites occurrunt. Prælium atrocius quàm pro numero pugnantium editur. Nam præter multa vulnera, cædes étiam propè par utrimque fuit : fugaque et pavor Numidarum Romanis jam admodùm fessis, victoriam dedit. Victores ad centum sexaginta ; nec omnes Romani, sed pârs Gallorum : victi ampliùs ducenti ceciderunt. Hoc principium, simulque omen belli, ut summæ rerum prosperum eventum, ita haud sanè incruentam ancipitisque certaminis victoriam Romanis portendit. Re ita gestâ, ad utrumque ducem sui redierunt.

NARRATION XXXII.

The passage of the Alps[1], *year of Rome* 534, *A. C.* 218.

(Rom. Hist. Titus L. book 21.)

Annibal ab Druentiâ[1] campestri maximè itinere cum bonâ pace ad Alpes incolentium ea loca Gallorum pervenit. Tum quamquàm fama priùs (quâ incerta in majùs vero ferri solent) præcepta res erat; tamen ex propinquo visa montium altitudo, nivesque cœlo propè immistæ, tecta informia posita rupibus, pecora jumentaque torrida frigore, homines intonsi et inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu, cætera visu quàm dictu fœdiora, terrorem renovârunt. Erigentibus in primos agmen clivos apparuerunt imminentes tumulos insidentes montani: qui si valles occultio-

---

1 Mountains of Europe, which seperate Italy from France and Germany. They commence on the side of France near Morocco, in Italy, between the state of Genoa, and the county of Nice, and terminate in the Gulf of Carnero, a part of the Adriatic Sea.

2 *Druentia.* The Durance is a River of France, rising at Mount Cenevre (in the department of the Upper Alps,) and falls into the Rhone below Avignon.

res insedissent, coorti in pugnam repentè, ingentem fugam stragemque dedissent. Annibal consistere signa jubet, Gallisque ad visenda loca præmissis, postquàm comperit transitum ea non esse, castra inter confragosa omnia præruptaque, quam extensissimâ potest valle locat. Tum per eosdem Gallos, haud sanè multùm linguâ moribusque abhorrentes, quùm se immiscuissent colloquiis montanorum, edoctus interdiù tantum obsideri saltum, nocte in sua quemque dilabi tecta; luce primâ subiit tumulos, ut ex aperto atquè interdiù viam per angustias facturus. Die deindè, simulando aliud quàm quod parabatur, consumpto, quùm eodem quo constiterant loco castra communissent, ubi primùm degressos tumulis montanos, laxatasque sensit custodias, pluribus ignibus quam pro numero manentium in speciem factis, impedimentisque cum equite relictis, et maximâ parte peditum; ipse cum expeditis, acerrimo quoque viro raptim angustias evadit: iisque ipsis tumulis, quos hostes tenuerant, consedit.

Primâ deindè luce castra mota et agmen reliquum incedere cœpit. Jam montani signo dato ex castellis ad stationem solitam conveniebant; quùm repentè conspiciunt alios arce occupatâ suâ, super caput imminentes, alios viâ transire hostes. Utraque simul objecta res oculis, animis immobiles parumper eos defixit. Deindè ut trepidationem in angustiis, suoque

ipsum tumultu misceri agmen vidêre, equis maxime consternatis, quicquid adjecissent ipsi terroris, satis ad perniciem fore rati, perversis rupibus, juxta invia ac devia assueti discurrunt. Tum verò simul ab hostibus, simul ab iniquitate locorum Pœni oppugnabantur ; plusque inter ipsos, (sibi quoque tendente ut periculo priùs evaderet) quàm cum hostibus certaminis erat. Equi maximè infestum agmen faciebant, qui et clamoribus dissonis, quos nemora etiam repercussæque valles augebant, territi trepidabant ; et icti fortè aut vulnerati adeò consternabantur, ut stragem ingentem simul hominum ac sarcinarum omnis generis facerent ; multosque turba, quum præcipites deruptæque utrìmque angustiæ essent, in immensum altitudinis dejecit ; quosdam et armatos. Indè ruinæ maximæ modo jumenta cum oneribus devolvebantur. Quæ quanquàm fœda visu erant, stetit parumper tamen Annibal ac suos continuit, ne tumultum ac trepidationem augeret. Deindè postquàm interrumpi agmen vidit, periculumque esse, ne exutum impedimentis exercitum nequicquàm incolumem traduxisset, decurrit ex superiore loco ; et quùm impetu ipso fudisset hostem, suis quoque tumultum auxit. Sed is tumultus momento temporis, postquàm liberata intinera fugâ montanorum erant, sedatur : nec per otium modò, sed propè silentio mox omnes traducti. Castellum indè, quod caput ejus regio-

nis erat, viculosque circumjectos capit, et captivorum pecoribus per triduum exercitum aluit. Et quia nec montanis primò perculsis, nec loco magnopere impediebantur, aliquantùm eo triduo viæ confecit.

Perventum indè ad frequentem cultoribus alium, ut inter montana, populum. Ibi non bello aperto, sed suis artibus, fraude, deindè insidiis est propè circumventus. Magno natu principes castellorum oratores ad Pœnum veniunt: alienis malis, utili exemplo doctos, memorantes, amicitiam malle, quàm vim experiri Pœnorum. Itaquè obedienter imperata facturos, commeatum itinerisque duces, et ad fidem promissorum obsides acciperet. Annibal nec temerè credendo, nec aspernando, ne repudiati apertè hostes fierent, benignè quùm respondisset; obsidibus quos dabant acceptis, et commeatu, quem in viam ipsi detulerant, usus; nequaquàm, ut inter pacatos, composito agmine duces eorum sequitur. Primum agmen elephanti et equites erant: ipse pòst cum robore peditum circumspectans sollicitus omnia, incedebat. Ubi in angustiorem viam ex parte alterâ subjectam jugo insuper imminenti ventum est, undiquè ex insidiis barbari à fronte, ab tergo coorti, cominùs, eminùs petunt: saxa ingentiá in agmen devolvunt: maxima ab tergo vis hominum urgebat. In eos versa peditum acies haud dubium fecit quin, nisi firmata extrema agminis fuissent, ingens in eo saltu

accipienda clades fuerit. Tunc quoque ad extremum periculi, ac propè perniciem ventum est: nam dùm cunctatur Annibal agmen demittere in angustias; quia non, ut ipse equitibus præsidio erat, ita peditibus quicquam ab tergo auxilii reliquerat; occursantes per obliqua montani, perrupto medio agmine, viam insedêre: noxque una Annibali, sine equitibus atque impedimentis, acta est.

Postero die jam segniùs intercursantibus barbaris, junctæ copiæ, saltusque haud sine clade, (majore tamen jumentorum, quàm hominum pernicie) superatus. Indè montani, pauciores, jam et latrocinii magis quàm belli more concursabant; modò in primum, modò in novissimum agmen, ut cuique aut locus opportunitatem daret, aut progressi morative aliquam occasionem fecissent. Elephanti, sicut præcipites per arctas vias magnâ morâ agebantur, ità tutum ab hostibus quàcumque incederent (quia insuetis adeundi propiùs metus erat) agmen præbebant. Nono die in jugum Alpium perventum est, per invia pleraque et errores, quos aut ducentium fraus, aut ubi fides iis non esset, temerè initæ valles à conjectantibus iter, faciebant. Biduum in jugis stativa habita: fessis labore ac pugnando quies data militibus; jumentaque aliquot, quæ prolapsa in rupibus erant, sequendo vestigia agminis in castra pervenêre. Fessis tædio tot malorum, nivis etiam casus occidente jam sidere Vergiliarum, in-

gentem terrorem adjecit. Per omnia nive oppleta quùm, signis primâ luce motis, segniter agmen incederet, pigritiaque et desperatio in omnium vultu emineret; prægressus signa Annibal, in promontorio quodam, undè longè ac latè prospectus erat, consistere jussis militibus, Italiam ostentat, subjectosque Alpinis montibus circumpadanos campos: mœniaque eos tùm transcendere, non Italiæ modo, sed etiam urbis Romanæ. Cætera plana, proclivia fore, uno, aut summum altero prælio arcem et caput Italiæ in manu ac potestate habituros. Procedere indè agmen cœpit; jam nihil ne hostibus quidem, præter pàrva furta per occasionem tentantibus. Cæterùm iter multò, quam in ascensu fuerat, (ut pleraque Alpium ab Italiâ sicut breviora, ità arctiora sunt) difficiliùs fuit. Omnis enim fermè via præceps, angusta, lubrica erat: ut nequè substinere se à lapsu possent; nec si qui paululùm titubassent, hærere afflicti vestigio suo; aliique super alios et jumenta et homines occiderent.

Ventum deindè ad multò angustiorem rupem, atque ità rectis saxis, ut ægrè expeditus miles tentabundus, manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes, demittere se posset. Naturâ locus jam antè præceps, recenti lapsu terræ in pedum mille admodùm altitudinem, abruptus erat. Ibi quùm velut ad finem viæ equites constitissent, miranti Annibali quæ res moraretur agmen, nunciatur,

rupem inviam esse. Digressus deindè ipse ad locum visendum. Haud dubia res visa, quin per invia circà, nec trita anteà, quamvis longo ambitu circumduceret agmen. Ea verò via insuperabilis fuit. Nam quùm super veterem nivem intactam nova modicæ altitudinis esset: molli nec prælatæ nivi facilè pedes ingredientium insistebant. Ut verò tot hominum jumentorumque incessu dilapsa est, per nudam infrà glaciem, fluentemque tabem liquescentis nivis ingrediebantur. Tetra ibi luctatio erat ut à lubricâ glacie, non recipiente vestigium, et in prono citiùs pede se fallente, et seu manibus in assurgendo, seu genu se adjuvissent, ipsis adminiculis prolapsi, si iterùm corruissent, nec stirpes circà radicesve, ad quas pede aut manu quisquam eniti posset, erant. Ità in levi tantùm glacie, tabidâque nive volutabantur jumenta: secabant interdùm, etiam tùm infimam ingredientia nivem, et prolapsa jactandis gravius in continendo ungulis, penitùs perfringebant: ut pleraque velut pedica capta hærerent in duratâ et altè concretâ glacie.

Tandem ne quicquam jumentis atque hominibus fatigatis, castra in jugo posita; ægerrimè ad idipsum loco purgato: tantùm nivis fodiendum atque egerendum fuit Indè ad rupem muniendam, per quam unam via esse poterat, milites ducti, quùm cædendum esset saxum, arboribus circà immanibus dejectis detruncatisque, struem ingentem lignorum

faciunt: eamque (quùm et vis venti apta faciendo igni coorta esset), succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. Ità torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque amfractibus modicis clivos, ut non jumenta solùm, sed elephanti etiam deduci possent. Quatriduum circà rupem consumptum, jumentis propè fame absumptis: nuda enim ferè cacumina sunt, et si quid est pabuli, obruunt nives. Inferiora vallis apricos quosdam colles habent, rivosque propè silvas; etiam humano cultu digniora loca. Ibi jumenta in pabulum missa, et quies muniendo fessis hominibus, data triduo. Indè ad planum descensum, etiam locis mollioribus et accolarum ingeniis.

Hoc maximè modo in Italiam perventum est quinto mense à Carthagine Novâ.

NARRATION XXXIII.

The battle of Cannæ, year of Rome 534, *A. C.* 218.

(Rom. Hist. Titus L. book 22.)

The Carthaginians and Romans fight their first battle upon the banks of the Tesino.[1] The Romans are defeated. The victory which Hannibal afterwards gains upon the banks of the Trebia,[2] opens to him the passage of the Appenines. Having thereby penetrated into Etruria, he invests Flaminius, near the Lake of Trasymenus,[3] and cuts his army in pieces. Fabius, for a time, arrests by his prudence the success of Hannibal, but the presumption of Varro, in the battle of Cannæ,[4] casts Rome upon the very verge of destruction.

Varro, postero die, cui sors ejus diei imperii erat, nihil consulto collegâ, signum pugnæ proposuit, instructasque copias flumen traduxit, sequente Paullo: quia magis non pro-

---

1 The *Tesino* is a river of Italy, which rises at Mount Fourche, in Switzerland, and falls into the Po.

2 *Trebia*, is a river of Italy, which rises at the Appenines, and falls into the Po, within the Duchy of Parma.

3 *Lake Trasymenus*, now Lake of Peyrouse, near the city of that name, in the Papal State.

4 *Cannæ*, a small city in Prusia, in the Pouilla,—now called Cannata Destrutat.

bare, quàm non adjuvare consilium poterat. Transgressi flumen, eas quoque quas in castris minoribus habuerant copias, suis adjungunt: atque ità instructà acie, in dextro cornu (id erat flumini propius) Romanos equites locant, deindè pedites: lævum cornu extremi equites sociorum, intrà pedites, ad medium juncti legionibus Romanis tenuerunt jaculatores. Ex cæteris levium armorum auxiliis prima acies facta. Consules cornua tenuerunt: Terentius lævum, Æmilius dextrum, Gemino Servilio media pugna tuenda data.

Annibal luce primâ Balearibus[1] levique aliâ armaturâ premissâ, transgressus flumen, ut quosque traduxerat, ita in acie locabat. Gallos Hispanosque equites propè ripam lævo in cornu adversùs Romanum equitatum: dextrum cornu Numidis equitibus datum; mediâ acie peditibus firmatâ, ita ut Afrorum utraque cornua essent, interponerentur his medii Galli atque Hispani. Afros Romanam magnâ ex parte crederes aciem: ita armati erant, armis et ad Trebiam, cæterum magnâ ex parte ad Trasimenum, captis. Gallis Hispanisque scuta ejusdem formæ ferè erant: dispares ac dissimiles gladii: Gallis prælongi, ac sine mucro-

[1] *Baleares*, inhabitants of the Balearian Isles: two islands of the Mediterranean, near the coast of Valencia, in Spain; now called Majorca and Minorca.

nibus : Hispano punctìm magis quàm cæsìm assueto petere hostem, brevitate habiles, et cum mucronibus. Antè cæteros habitus gentium harum tùm magnitudine corporum, tùm specie terribilis erat. Galli super umbilicum erant nudi : Hispani linteis prætextis purpurâ tunicis, candore miro fulgentibus, constiterant. Numerus omnium peditum, qui tum steterunt in acie, millium fuit quadraginta ; decem equitum. Duces cornibus præerant : sinistro Asdrubal, dextro Maharbal : mediam aciem Annibal ipse cum fratre Magone tenuit. Sol, seu de industriâ ità locatis, seu quod fortè ità starent, peropportunè utrique parti obliquus erat, Romanis in meridiem, Pœnis in septentrionem versis. Ventus, quem Vulturnum incolæ regionis vocant, adversùs Romanis coortus, multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit.

Clamore sublato, procursum ab auxiliis, et pugna levibus primùm armis commissa : deindè equitum Gallorum Hispanorumque lævum cornu cum dextro Romano concurrit ; minimè equestris more pugnæ : frontibus enim adversis concurrendum erat : quia nullo circà ad evagandum relicto spatio, hinc amnis, hinc peditum acies claudebant, in directum utrinque nitentes. Stantibus ac confertis postremò turbâ equis, vir virum amplexus detrahebat equo. Pedestre magnâ jam ex parte certamen factum erat : acriùs tamen quàm diutiùs pug-

natum est, pulsique Romani equites terga vertunt. Sub equestris finem certaminis, coorta est peditum pugna. Primò et viribus et animis pares constabant ordines Gallis, Hispanisque: tandem Romani diù ac sæpè connisi, æquâ fronte acieque densâ impulêre hostium cuneum nimis tenuem, eòque parùm validum, à cæterâ prominentem acie. Impulsis deindè ac trepide referentibus pedem insistere: ac tenore uno per præceps pavore fugientium agmen in mediam primum aciem illati; postremò nullo resistente ad subsidia Afrorum pervenerunt: qui utrinquè reductis alis constiterant, mediâ quâ Galli Hispanique steterunt, aliquantùm prominente acie: qui cuneus, ut pulsus æquavit frontem primùm, deindè nitendo etiam sinum in medio dedit, Afri circà jam cornua fecerant irruentibusque incautè in medium Romanis, circumdedêre alas; mox cornua extendendo, clausêre et ab tergo hostes. Hinc Romani defuncti nequicquàm prælio uno, omissis Gallis Hispanisque, quorum terga ceciderant, etiam adversùs Afros integram pugnam ineunt; non tantùm eò iniquam, quòd inclusi adversùs circumfusos, sed etiam quòd fessi cum recentibus ac vegetis pugnabant.

Jam et in sinistro cornu Romano, ubi sociorum equites adversùs Numidas steterant, consertum prælium erat: segne primo, et à Punicâ cœptum fraude. Quingenti fermè Numidæ: præter justa arma telaque, gladios occultos sub

loricis habentes, specie transfugarum cum ab suis, parmas post terga habentes, adequitassent; repentè ex equis desiliunt, parmisque et jaculis antè pedes hostium projectis, in mediam aciem accepti, ductique ad ultimos: considere ab tergo jubentur; ac dùm prælium ab omni parte conseritur, quieti manserunt. Postquàm omnium animos oculosque occupaverat certamen; tùm, arreptis scutis, quæ passìm inter acervos cæsorum corporum strata erant, aversam adoriuntur Romanam aciem, tergaque ferientes, ac poplites cædentes, stragem ingentem, ac majorem aliquantò pavorem ac tumultum fecerunt. Quùm alibi terror ac fuga, alibi pertinax in malâ jam spe prælium esset; Asdrubal, qui eâ parte præerat, subductos ex mediâ acie Numidas, quia segnis eorum cum adversis pugna erat, ad persequendos passìm fugientes mittit: Hispanos et Gallos pedites jam Afris propè fessis, cæde magis quàm pugnâ, adjungit.

Parte alienâ pugnæ Paullus, quamquàm primo statim prælio fundâ graviter ictus fuerat; tamen et occurrit sæpè cum confertis Annibali, et aliquot locis prælium restituit; protegentibus eum equitibus Romanis. Omissis postremò equis, quia consulem et ad regendum equum vires deficiebant. Tùm denuncianti cuidam, jussisse consulem ad pedes descendere equites; dixisse Annibalem ferunt: Quàm mallem vinctos mihi traderet! Equitum pe-

destre prælium, quale jam haud dubiâ hostium victoriâ fuit, quùm victi mori in vestigio mallent, quàm fugere; victores morantibus victoriam irati, trucidarent quos pellere non poterant. Pepulerunt tamen jam paucos superantes, et labore ac vulneribus fessos. Inde dissipati omnes sunt: equosque ad fugam, qui poterant, repetebant. Cn. Lentulus tribunus militum, quùm prætervehens equo, sedentem in saxo cruore oppletum consulem vidisset: L. Æmili, inquit, quem unum insontem culpæ cladis hodiernæ Dii respicere debent; cape hunc equum, dùm et tibi virium aliquid superest. Comes ego te tollere possum ac protegere, ne funestam hanc pugnam morte consulis feceris. Etiam sine hoc lacrymarum satis luctûsque est. Ad ea Consul: Tu quidem, Cn. Corneli, macte virtute esto! Sed cave frustrà miserando, exiguum tempus è manibus hostium evadendi absumas. Abi, nuncia publicè Patribus, urbem Romam muniant, ac priusquàm hostis victor adveniat, præsidiis firment: privatìmque Q. Fabio, L. Æmilium præceptorum ejus memorem et vixisse, et adhuc mori. Tu me in hâc strage militum meorum patere expirare, ne aut reus iterum è consulatu sim, aut accusator collegæ existam, ut alieno crimine innocentiam meam protegam. Hæc exigentes, prius turba fugientium civium, deindè hostes, oppressêre: consulem, ignorantes quis esset, obruêre telis; Lentulum inter tumultum abripuit equus. Tùm indè effusè fugiunt. Sep-

tem millia hominum in minora castra, decem in majora, duo fermè in vicum ipsum Cannas perfugerunt: qui extemplò à Carthalone atquè equitibus, nullo munimento tegente vicum, circumventi sunt. Consul alter, seu fortè, seu consilio, nulli fugientium infestus agmini, cum septuaginta ferè equitibus Venusiam profugit. Quadraginta millia peditum, duo millia septingenti equites, et tanta propè civium sociorumque pars cæsi dicuntur; in his ambo consulum quæstores L. Atilius, et L. Furius Bibaculus: unus et viginti tribuni militum; consulares quidam prætoriique, et ædilicii: inter eos Cn. Servilium, et M. Minucium numerant, qui magister equitum priore anno, Consul aliquot annis antè fuerat: octoginta prætereà aut senatores, aut qui eos magistratus gessissent, undè in senatum legi deberent; quùm suâ voluntate milites in legionibus facti essent.

Capta eo prælio tria millia peditum, et equites trecenti dicuntur. Hæc est pugna Cannensis, Alliensi[1] cladi nobilitate par: Cæterum ut illis, quæ post pugnam accidere, levior, quia ab hoste cessatum est; sic strage exercitûs gravior fœdiorque. Fuga namque ad Alliam sicut urbem prodidit, ità exercitum servavit: ad Cannas fugientem consulem vix septuaginta secuti sunt: alterius morientis propè totus exercitus fuit.

---

1 *Alliensi Cladi*. The defeat of Allia—See note to page 161.

NARRATION XXXIV.

Siege of Syracuse, year of Rome 538, *A. C.* 214.

(Rom. Hist. Titus L. books 24 & 25.)

'HANNIBAL, in place of marching his army speedily to Rome, wastes his time at Capua, till the Romans have time to recover from their dismay. The Senate and the people resume their courage; money is voluntarily cast into the Treasury; the youth are enrolled, and the slaves are armed: Thus the war is recommenced with ardour; and Quintus Fabius Maximus, in avoiding a battle, finds the best means of vanquishing his foe. Soon the Romans ceasing to fear him, have the courage, while he is yet before them, to pass into Sicily, and under the command of Marcellus lay seige to Syracuse[1] But the effect of the prodigious machines invented by Archimedes for the destruction of their Gallies, oblige them to change their Seige into a blockade.

Terrâ marique simul cœptæ oppugnari Syracusæ: terrâ ab Hexapylo, mari ab Achradina, cujus murus fluctu alluitur. Et quia sicut Leontinos terrore ac primo impetu ceperant, non diffidebant vastam disjectamque spatio urbem parte aliquâ se invasuros; omnem

---

[1] *Syracuse*, now Syracossa, a city of Sicily, in the valley of Noto, though now the most considerable city of the Island, is nothing in comparison with what it was in the time of the Romans.

apparatum oppugnandarum urbium muris admoverunt.

Et habuisset tanto impetu cœpta res fortunam, nisi unus homo Syracusis eâ tempestate fuisset. Archimedes is erat; unicus spectator cœli siderumque: mirabilior tamen inventor ac machinator bellicorum tormentorum, operumque, quibus ea quæ hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi momento ludificaretur. Murum per inæquales ductum colles, (pleraque alta et difficilia aditu, summissa quœdam, et quæ planis vallibus adiri possent) ut cuique aptum visum est loco, itâ omni genere tormentorum instruxit. Achradinæ murum, qui ut antè dictum est, mari alluitur, ex quinqueremibus Marcellus oppugnabat. Ex cæteris navibus sagittarii funditoresque, et velites etiam, quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est, vix quemquam sine vulnere consistere in muro patiebantur. Hi, quia spatio missilibus opus est, procul muro tenebant naves. Junctæ aliæ binæ ad quinqueremes, demptis interioribus remis, ut latus lateri applicaretur: quùm exteriore ordine remorum velut naves agerentur, turres contabulatas, machinamentaque alia quatiendis muris portabant. Adversùs hunc navalem apparatum Archimedes variæ magnitudinis tormenta in muris disposuit. In eas quæ procul erant naves saxa ingenti pondere emittebat, propiores levioribus, eòque magis crebris petebat telis: postremò ut sui

vulnere intacti tela in hostem ingererent, murum ab imo ad summum crebris cubitalibus ferè cavis aperuit: per quæ cava pars sagittis, pars scorpionibus modicis ex occulto petebant hostem. Quæ propiùs quædam subibant naves, quò interiores ictibus tormentorum essent, in eas tollenone super murum eminente ferrea manus firmæ catenæ illigata quùm injecta proræ esset, gravi libramento plumbi recellente ad solum, suspensâ prorâ, navim in puppim statuebat: dein remissa subitò, velut ex muro cadentem navim cum ingenti trepidatione nautarum ità undæ affligebat, ut etiamsi recta recideret, aliquantùm aquæ acciperet Ità maritima oppugnatio est elusa, omnisque vis est eò versa, ut totis viribus terrâ aggrederentur. Sed ea quoque pars eodem omni apparatu tormentorum instructa erat, Hieronis impensis curâque per multos annos Archimedis unicâ arte. Natura etiam juvabat loci: quod saxum, cui imposita muri fundamenta sunt, magnâ ex parte ità proclive est, ut non solùm missa tormento, sed etiam quæ pondere suo provoluta essent, graviter in hostem inciderent. Eadem causa ad subeundum arduum aditum, instabilemque ingressum præbebat. Ità consilio habito, quùm omnis conatus ludibrio esset, absistere oppugnatione, atque obsisdendo tantum arcere terrâ marique commeatibus hostem placuit.

NARRATION XXXV.

Capture of Syracuse, and the death of Archimedes, year of Rome 540, *A. C.* 212.

(Rom. Hist. book 25.)

SYRACUSARUM oppugnatio ad finem venit: præterquàm vi ac virtute ducis exercitûsque, intestinâ etiam proditione adjutâ. Namque Marcellus initio veris incertus, utrùm Agrigentum[1] ad Himilconem et Hippocratem verteret bellum, an obsidione Syracusas premeret: quamquàm nec vi capi videbat posse inexpugnabilem terrestri ac maritimo situ urbem, nec fame, quam propè liberi ab Carthagine commeatus alerent; tamen ne quid inexpertum relinqueret, transfugas Syracusanos (erant autem apud Romanos aliqui nobilissimi viri, inter defectionem ab Romanis, quia ab novis consiliis abhorrebant, pulsi) colloquiis suæ partis tentare hominum animos jussit: et fidem dare, si traditæ forent Syracusæ, liberos eos ac suis legibus victuros esse. Non erat colloquiis copia: quia multorum animi suspecti, omnium curam oculosque converterant, ne quid falleret tale admissum. Servus

---

[1] Agrigentum, a city of Sicily, upon the southern side; now called Girgenti.

unus exsulum pro transfugâ intromissus in urbem, conventis paucis, initium colloquendi de tali re fecit. Deindè in piscatoriâ quidam navi, retibus operti, circumvectique ità ad castra Romana, collocutique cum transfugis : et idem sæpiùs eodem modo alii atque alii. Postremò ad octoginta facti : et quùm jam composita omnia ad proditionem essent, indicio delato ad Epicyden per Attalum quendam, indignantem sibi rem creditam non esse. necati omnes cum cruciatu sunt. Alia subindè spes, postquàm hæc vana evaserat, excepit. Damippus quidam Lacedæmonius missus ab Syracusis ad Philippum regem, captus ab Romanis navibus erat. Hujus utiquè redimendi et Epicydæ cura erat ingens : nec abnuit Marcellus, jam tùm Ætolorum, cujus gentis socii Lacedæmonii erant, amicitiam affectantibus Romanis. Ad colloquium de redemptione ejus missis, medius maximè atque utrisque opportunus locus, ad portum Trogiliorum, propter turrim quam vocant Galeagram, est visus. Quo quùm sæpius commearent, unus ex Romanis ex propinquo murum contemplatus, numerando lapides, æstimandoque ipse secum quid in fronte paterent ; simul altitudinem muri, quantùm proximè conjecturâ poterat, permensus, humilioremque aliquantò pristinâ opinione suâ et cæterorum omnium ratus esse, vel mediocribus scalis superabilem ; ad Marcellum rem defert. Haud spernenda visa:

sed, cum adiri locus, qui ob idipsum intentiùs custodiebatur, non posset, occasio quærebatur. Quam obtulit transfuga, nuncians, diem festum Dianæ per triduum agi, et quia alia in obsidione desint, vino largiùs epulas celebrari; et ab Epicyde præbito universæ plebi, et per tribus à principibus diviso. Id ubi accepit Marcellus, cum paucis tribunorum militum collocutus; electisque per eos, ad rem tantam agendam, audendamque, idoneis centurionibus militibusque, et scalis in occulto comparatis, cæteris signum dari jubet, ut maturè corpora curarent, quietique darent; nocte in expeditionem eundum esse. Indè ubi id temporis visum, quo de die epulatis jam vini satias principiumque somni esset; signi unius milites ferre scalas jussit; et ad mille ferè armati tenui agmine per silentium eo deducti. Ubi sinè strepitu ac tumultu primi evaserunt in murum, secuti ordine alii; quùm priorum audacia dubiis etiam animum faceret.

Jam mille armatorum ceperant partem, quùm cæteræ admotæ, pluribusque scalis in murum evadebant; signo ab Hexapylo dato: quo per ingentem solitudinem erat perventum, quia magna pars in turribus epulati, aut sopiti vino erant, aut semigraves potabant. Paucos tamen eorum oppressos in cubilibus intefecerunt. Propè Hexapylum est portula magna via refringi cœpta: et è muro ex composito tubâ datum signum erat; et jam undi-

què, non furtim, sed vi apertâ, gerebatur res; quippe ad Epipolas, frequentem custodiis locum, perventum erat: terrendique magis hostes erant, quàm fallendi; sicut territi sunt. Nam simul ac tubarum est auditus cantus, clamorque tenentium muros, partemque urbis; omnia teneri custodes rati, alii per murum fugere, alii salire de muro, præcipitarique turba paventium. Magna pars tamen ignara tanti mali erant; et gravatis omnibus vino somnoque, et in vastæ magnitudinis urbe, partium sensu non satis pertinente in omnia. Sub luce Hexapylo effracto, Marcellus omnibus copiis urbem ingressus, excitavit convertitque omnes ad arma capienda, opemque, si quam possent, jam captæ propè urbi ferendam. Epicydes, ab Insulâ, quam ipsi Nason vocant, citato profectus agmine; haud dubius quin paucos, per negligentiam custodum transgressos murum expulsurus foret; occurrentibus pavidis, tumultum augere eos, dictitans, et majora ac terribiliora vero afferre; postquàm conspexit omnia circà Epipolas armis completa, lacessito tantum hoste paucis missilibus, retrò in Achradinam agmen convertit: non tàm vim multitudinemque hostium metuens, quàm ne qua intestina fraus per occasionem oriretur, clausasque inter tumultum Archradinæ atque Insulæ inveniret portas. Marcellus ut mœnia ingressus, ex superioribus locis urbem, omnium fermè illâ tempestate pulcherrimam,

subjectam oculis vidit, illacrymasse dicitur: partìm gaudio tantæ perpatratæ rei, partìm vetustâ gloriâ urbis. Atheniensium classes demersæ, et duo ingentes exercitus cum duobus clarrissimis ducibus deleti, occurrebant: et tot bella cum Carthaginiensibus tanto cum discrimine gesta, tot tam opulenti tyranni regesque: præter cæteros Hiero, quùm recentissimæ memoriæ rex, tùm ante omnia, quæ virtus ei fortunaque sua dederât, beneficilis in populum Romanum insignis. Ea quùm universa occurrerent animo, subiretque cogitatio, jam illa momento horæ arsura omnia, et ad cineres reditura: priusquàm signa Achradinæ admoveret, præmittit Syracusanos, qui intrà præsidia Romana, ut antè dictum est, fuerant, ut alloquio leni perlicerent hostes ad dedendam urbem.

Tenebant Achradinæ portas murosque maximè transfugæ, quibus nulla erat per conditiones veniæ spes: ii nec adire muros, nec alloqui quemquam passi. Itaquè Marcellus postquàm id incœptum irritum fuit, ad Euryalum signa referri jussit. Tumulus est in extremâ parte urbis versus à mari, viæque imminens ferenti in agros, mediterraneæque insulæ: percommodè situs ad commeatus excipiendos. Præerat huic arci Philodemus Argivus, ab Epicyde impositus, ad quem missus à Marcello Sosis, unus ex interfectoribus tyranni, quùm longo sermone habito dilatus

per frustrationem esset, retulit Marcello, tempus eum ad deliberandum sumpsisse. Quùm is diem de die differret, dum Hippocrates atque Himilco admoverent castra legionesque, haud dubius, si in arcem accepisset eos, deleri Romanum exercitum inclusum muris posse. Marcellus ut Euryalum neque tradi, nequè capi vidit posse : inter Neapolim et Tycham (nomina partium urbis, et instar urbium sunt) posuit castra : timens ne, si frequentia intrasset loca, contineri ab discursu miles avidus prædæ non posset. Legati eo ab Thycha et Neapoli, cum infulis et velamentis venerunt ; precantes ut à cædibus et ab incendiis parceretur. De quorum precibus quàm postulatis magis consilio habito ; Marcellus ex omnium sententiâ edixit militibus, ne quis liberum corpus violaert : cætera prædæ futura. Castraque tectis parietum pro muro septa, portis regione platearum patentibus stationes præsidiaque disposuit, ne quis in discursu militum impetus in castra fieri posset. Indè signo dato milites discurrerunt : refractisque foribus quùm omnia terrore ac tumultu streperent, à cædibus tamen temperatum est. Rapinis nullus antè modus fuit, quàm omnia diuturnâ felicitate cumulata bona egessêre. . . . . .

. . . . . Quùm multa deindè iræ, multa avaritiæ, fœda exempla ederentur ; Archimeden, memoriæ proditum est, in tanto tumultu, quantùm capta urbs in discursu diripientium

militum ciere poterat, intentum formis, quas in pulvere descripserat, ab ignaro milite quis esset interfectum. Ægrè id Marcellum tulisse sepulturæque curam habitam. Et propinquis etiam inquisitis, honori præsidioque nomen ac memoriam ejus fuisse. Hoc maximè modo Syracusæ captæ. In quibus prædæ tantùm fuit, quantùm vix captâ. Carthagine tùm fuisset, cum quâ viribus æquis certabatur,

NARRATION XXXVI.

The younger Scipio is named Proconsul of Spain.

(Rom. Hist. Titus L. book 26.)

The Romans at this time witness the most destructive reverses in Spain. Their two generals, Lucius and Publius Scipio, lose their lives in the field of battle, after seeing their armies cut in pieces.

This sad news produces consternation at Rome. They convoke the assembly and proceed to the choice of a Proconsul of Spain.

Senatui populoque, post receptam Capuam, non Italiæ jam major quàm Hispaniæ cura erat: et exercitum augeri et imperatorem

mittì placebat. Nec tamen quem mitterent, satis constabat, quàm illud, ubi duo summi imperatores intra dies triginta cecidissent, qui in locum duorum succederet, extraordinariâ curâ deligendum esse. Quùm alii alium nominarent, postremùm eò decursum est, ut populus proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet: diemque comitiis consules edixerunt. Primò exspectaverant, ut qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. Quæ ut destituta exspectatio est; redintegratus luctus acceptæ cladis, desiderumque imperatorum amissorum. Mœsta itaque civitas, propè inops consilii, comitiorùm die tamen in campum descendit: atque in magistratus versi circumspectant ora principum, aliorum alios intuentium, fremuntque, adeò perditas res, desperatumque de republicâ esse, ut nemo audeat in Hispaniam imperium accipere. Quùm subito P. Cornelius, Publii qui in Hispaniâ ceciderat filius, quatuor viginti fermè annos natus, professus se petere, in superiore undè conspici posset loco constitit. In quem postquàm omnium ora conversa sunt, clamore ac favore ominati extemplò sunt, felix faustumque imperium. Jussi deindè inire confusum suffragium, ad unum omnes non centuriæ modo, sed etiam homines, P. Scipioni imperium esse in Hispaniâ jusserunt. Cæterùm post rem actam, ut jam resederat impetus animorum ardorque, silentium subitò ortum et

tacita cogitatio, quidnàm egissent novi, quòd favor plus valuisset, quàm ratio; ætatis maximè pœnitebat: quidam fortunam etiam domûs horrebant, nomenque, ex funestis duabus familiis, in eas provincias, ubi inter sepulchra patris patruique res gerendæ essent, proficiscentis.

Quam ubi ab re tanto impetu actâ sollicitudinem curamque hominum animadvertit; advocatâ concione, ità de ætate suâ imperioque mandato, et bello quod gerendum esset, magno, elatoque animo disseruit, ut ardorem eum qui resederat, excitaret rursùs, novaretque: et impleret homines certioris spei, quam quantam fides promissi humani, aut ratio ex fiduciâ rerum subjicere solet. Fuit enim Scipio, non veris tantùm virtutibus mirabilis, sed arte quoque quâdam ab juventâ in ostentationem earum compositus: pleraque apud multitudinem, aut per nocturnas visa species, aut velut divinitùs, mente monitâ, agens: sive et ipse capti quâdam superstitione animi, sive ut imperia, consiliaque velut sorte oraculi missa, sine cunctatione assequeretur, Ad hoc jam indè ab initio præparans animos, ex quo togam virilem sumpsit, nullo die priùs ullam publicam privatamque rem egit, quàm in Capitolium iret, ingressusque ædem consideret: et plerumque tempus solus in secreto ibi tereret. Hic mos qui per omnem vitam servabatur, seu consultò, seu temerè, vulgatæ opinioni fidem apud quos-

dam fecit, stirpis eum divinæ virum esse, retulitque famam, in Alexandro magno priùs vulgatam, et vanitate et fabulâ parem, anguis immanis concubitu conceptum, et in cubiculo matris ejus perlæpè visam prodigii ejùs speciem; interventuque hominum evolutam repentè, atque ex oculis elapsam. His miraculis nunquàm ab ipso elusa fides est: quin potiùs aucta arte quâdam, nec abnuendi tale quicquam, nec palàm affirmandi. Multa alia ejusdem generis, alia vera, alia assimulata, admirationis humanæ in eo juvene excesserant modum: quibus freta tunc civitas, ætati haudquaquàm maturæ tantam molem rerum, tantumque imperium permisit.

NARRATION XXXVII.

Capture of Carthagena,[1] *year of Rome* 210, *A. C.* 542.

(Rom. Hist. Titus L. book 26.)

SCIPIO arrives in Spain, and strives to restore confidence and courage to his troops. His first endeavour is to produce in the minds of the natives, a high idea of his enterprise and courage: this he effects by the capture of Carthagena.

Siege of the City.

CARTHAGINEM Novam interìm oppugnare statuit: urbem quùm ipsam opulentam suis opibus, tùm hostium omni bellico apparatu plenam. Ibi arma, ibi pecunia, ibi totius Hispaniæ obsides erant. Sitam prætereà quùm opportunè ad trajiciendum in Africam, tùm super portum satis amplum quantævis classi, et nescio an unum in Hispaniæ orâ, quâ nostro adjacet mari. Nemo omnium quo iretur sciebat, præter C. Lælium. Is classe circummissus, ità moderari cursum navium jussus erat, ut eodem tempore exercitus ostenderetur, et classis portum intraret. Septimo die ab Ibero Carthaginem ventum est. Simul terrâ

---

[1] *Carthagena*, or New Carthage, is a maritime city of Spain, in the Province of Murcia. It was built or enlarged by Asdrubal.

marique castra ab regione urbis, quâ in Septentrionem versa est, posita: his ab tergo (nam frons naturâ tuta erat) vallum objectum. Cæterùm sita Carthago sic est: Sinus est maris mediâ ferè Hispaniæ orâ, maximè Africo vento oppositus, et quingentos passus introrsùs retractus, paululò plus passuum in latitudinem patens. Hujus in ostio sinûs parva insula objecta ab alto, portum ab omnibus ventis præterquàm Africo, tutum facit. Ab intimo sinu peninsula excurrit, tumulus is ipse, in quo condita urbs est; ab ortu solis et à meridie cincta mari, ab occasu stagnum claudit, paulum et ad septentrionem fusum; incertæ altitudinis utcumque exæstuat aut deficit mare. Continenti urbem jugum ducentos ferè et quinquaginta passus patens conjungit. Undè quùm tam parvi operis munitio esset, non objecit vallum imperator Romanis: seu fiduciam hosti superbè ostentans, sivè ut subeunti sæpè ad mœnia urbis recursus pateret.

Cætera, quæ munienda erant, quùm perfecisset, naves etiam in portu, velut maritimam quoque ostentans obsidionem, instruxit: circumvectusque classem, cùm monuisset præfectos navium, ut vigilias nocturnas intenti servarent: omnia ubique primò obsessum hostem conari; regressus in castra, ut consilii sui rationem, quòd ab urbe potissimùm oppugnandâ bellum orsus esset, militibus ostenderet, et spem potiundæ cohortando faceret; con-

cione advocatâ ità disseruit: Ad urbem unam oppugnandam, si quis vos adductos credit, is magis operis vestri, quàm emolumenti rationem exactam, milites, habet. Oppugnabitis enim verè mœnia unius urbis, sed in unâ urbe universam cepeiritis Hispaniam. Hîc sunt obsides omnium nobilium regum populorumque: qui simul in potestate vestrâ erunt, extemplò omnia, quæ nunc sub Carthaginiensibus sunt, in ditionem tradent.— Hìc pecunia omnis hostium, sinè quâ neque illi gerere bellum possunt: quippè qui mercenarios exercitus alunt: et quæ nobis maximo usui ad conciliandos animos barbarorum erit. Hìc tormenta, arma, armamenta, et omnis apparatus belli est; qui simul et vos instruet, et hostes nudabit. Potiemur prætereâ quùm pulcherrimâ opulentissimâque urbe, tùm opportunissimâ portu egregio: undè terrâ marique, quæ belli usus poscunt, suppeditentur. Quæ cum magna ipsi habebimus, tùm dempserimus hostibus multò majora. Hæc illis arx, hoc horreum, ærarium, armamentarium, hoc omnium rerum receptaculum est. Hînc rectus in Africam cursus est: hæc una inter Pyrenæum et Gades statio: hînc omni Hispaniæ imminet Africa. Sed quoniam vos instructos et ordinatos cognosco; ad Carthaginem Novam oppugnandam, totis viribus et bono animo transeamus. Quùmque omnes unâ voce, hoc faciendum, succlamarent, eos

Carthaginem duxit. Tùm terrâ marique eam oppugnari jubet.

Sortie of the besieged.

Contrâ Mago Pœnorum dux, quum terrâ marique instrui oppugnationem videret, et ipse copias ità disponit. Oppidanorum duo millia ab eâ parte, quâ castra Romana erant, opponit: quingentis militibus arcem insedit: quingentos tumulo urbis in orientem verso imponit: multitudinem aliam, quò clamor, quò subita vocasset res, intentam ad omnia occurrere jubet. Patefactâ deindè portâ, eos quos in viâ ferente ad castra hostium instruxerat, mittit. Romani, duce ipso præcipiente, parumper cessêre, ut propiores subsidiis in certamine ipso submittendis essent. Et primò haud impari stetêre acie: subsidia deindè indentidem summissa, è castris non averterunt solum in fugam hostes, sed adeò effusis institerunt, ut, nisi receptui cecinisset, permisti fugientibus irrupturi fuisse in urbem viderentur. Trepidatio verò non in prælio major, quàm totâ urbe fuit. Multæ stationes pavore atque fugâ desertæ sunt: relictique muri, quùm, quâ cuique erat proximum, desiluissent. Quod ubi egressus Scipio in tumulum, quem Mercurii vocant, animadvertit, multis partibus nudata defensoribus mœnia esse; omnes è castris excitos ire ad oppugnandam urbem, et ferre scalas, ju-

bet. Ipse trium præ se juvenum validorum scutis oppositis (Ingens enim jam vis omnis generis telorum è muris volabat) ad urbem succedit, hortatur, imperat quæ in rem sunt : quodque plurimùm ad accendendos militum animos intererat, testis spectatorque virtutis atque ignaviæ cujusque adest. Itaque in vulnera ac tela ruunt, neque illos muri, neque superstantes armati arcere queunt, quin certatim ascendant. Et ab navibus eodem tempore ea quæ mari alluitur, pars urbis oppugnari cœpta est. Ceterùm tumultus indè major quàm vis, adhiberi poterat. Dùm applicant, dùm partim exponunt scalas militesque, dùm quâ cuique proximum est, in terram evadere properant ; ipsâ festinatione et certamine alii alios impediunt.

Inter hæc repleverat jam Pœnus armatis muros, et vis magna ex ingenti copiâ congesta telorum suppeditabat. Sed neque viri, nec tela, nec quidquam aliud æquè quàm mœnia ipsa sese defensabant. Raræ enim scalæ altitudini æquari poterant : et quò quæque altiores, eò infirmiores erant. Itaque quùm summus quisque evadere non posset, subirent tamen alii, onere ipso frangebantur. Quidam stantibus scalis, quùm altitudo caliginem oculis offudisset, ad terram delati sunt. Et quùm passim homines, scalæque ruerent, et ipso successu audacia atque alacritas hostium cresceret, signum receptui datum est ; quod

spem non præsentis modò ab tanto certamine ac labore quietis obsessis, sed etiam in posterùm dedit; scalis et coronâ capi urbem non posse. Opera et difficilia esse, et tempus datura ad ferendam opem imperatoribus suis. Vix prior tumultus conticuerat, quùm Scipio ab defessis jam vulneratisque recentes integrosque alios accipere scalas jubet; et vi majore aggredi urbem. Ipse, ut ei nunciatum est, æstum decedere; quod per piscatores Taraconenses, nunc levibus cymbis, nunc, ubi eæ siderent, vadis pervagatos stagnum, compertum habebat, facilem pedibus ad murum transitum dari; eò secum armatos duxit. Medium fermè diei erat, et ad id quod suâ sponte cedente in mare æstu trahebatur aqua, acer etiam Septentrio ortus inclinatum stagnum eòdem quò æstus ferebat: et adeò nudaverat vada, ut alibi umblico tenùs aqua esset, alibi genua vix superaret. Hoc curâ ac ratione compertum, in prodigium ac Deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis mare verterent, et stagno auferrent, viasque antè numquàm initas humano vestigio aperirent: Neptunum jubebat ducem itineris sequi, ac medio stagno evadere ad mœnia.

Ab terrâ ingens labor succedentibus erat: nec altitudine tantùm mœnium impediebantur, sed quòd euntes ad ancipites utrìmque ictus, subjectos habebant Romanos; ut latera infestiora subeuntibus, quàm adversa corpora, es-

sent. At parte in aliâ quingentis et per stagnum facilis transitus, et in murum ascensus indè fuit. Nam neque opere emunitus erat, ut ubi ipsius loci ac stagni præsidio satis creditum foret; nec ulla armatorum statio, aut custodia apposita; intentis omnibus ad opem eò ferendam, undè periculum ostendebatur. Ubi urbem sinè certamine intravêre, pergunt indè quanto maximo cursu poterant, ad eam portam, circà quam omne contractum certamen erat. In quod adeò intenti omnium non animi solum fuêre, sed etiam oculi auresque pugnantium spectantiumque, et adhortantium pugnantes; ut nemo antè ab tergo senserit captam urbem, quam tela in aversos inciderunt, et utrimque ancipitem hostem habebant.

Capture of the city.

Tunc turbatis defensoribus metu, et mœnia capta, et porta intus forisque pariter refringi cœpta: et mox cædendo confractis, ne iter impediretur, foribus, armati impetum fecerunt. Magna multitudo et muros transcendebat, sed hi passim ad cædem oppidanorum versi. Illa, quæ portam ingressa erat, justa acies, cum ducibus, cum ordinibus, mediâ urbe in forum processit. Indè, quum duobus itineribus fugientes videret hostes alios ad tumultum in orientem versum, qui tenebatur quingentorum militum præsidio, alios in ar-

cem, in quam et ipse Mago cum omnibus ferè armatis, qui muris pulsi fuerant, refugerant; partìm copiarum ad tumulum expugnandum mittit; partìm ipse ad arcem ducit. Et tumulus primo impetu est captus, et Mago arcem conatus defendere, quùm omnia hostium plena videret, nequè spem ullam esse; se arcemque et præsidium dedidit. Quoad dedita arx est, cædes tota urbe passìm factæ: nec ulli puberum, qui obvius fuit, parcebatur. Tùm signo dato, cædibus finis factus. Ad prædam victores versi, quæ ingens omnis generis fuit.

Liberorum capitum virilis sexûs ad decem millia capta. Indè, qui cives Novæ Carthaginis erant, dimisit, urbemque, et sua omnia, quæ reliqua eis bellum fecerat, restituit. Opifices ad duo millia hominum erant, eos publicos fore populi Romani edixit: cum spe propinquâ libertatis, si ad ministeria belli enixè operam navassent. Cæteram multitudinem incolarum juvenum, ac validorum servorum, in classem ad supplementum remigum dedit. Et auxerat navibus octo captivis classem. Extrà hanc multitudinem Hispanorum obsides erant: quorum perindè ac si sociorum liberi essent, cura habita. Captus et apparatus ingens belli; catapultæ maximæ formæ centum viginti, minores ducentæ octoginta et una: ballistæ majores viginti tres, minores quinquaginta duæ: scorpionum majorum minorumque, et armorum telorumque, ingens numerus: signa militaria

septuaginta quatuor. Et auri argentique relata ad imperatorem magna vis: pateræ aureæ fuerunt CCLXXVI libras fermè omnes pondo: argenti facti, signatique decem et octo millia et ccc. pondo: vasorum argenteorum magnus numerus. Hæc omnia C. Flaminio quæstori appensa, adnum erataque sunt tritici quadraginta millia modiûm, hordei ducenta septuaginta. Naves onerariæ CXIII in portu expugnatæ, captæque: quædam cum suis oneribus, frumento, armis, ære prætereà, ferroque, et linteis, et sparto, et navali aliâ materiâ ad classem ædificandam: ut minimum omnium, inter tantas opes belli captas, Carthago ipsa fuerit.

NARRATION XXXVIII.

The Continence of Scipio.

(Rom. Hist. Titus L. book 26.)

WHILST Scipio dismays his enemies by his skill and valour, he also gains the affections of all by his mildness, affability, and moderation. Though but a youth, he subdued his passions with an absolute sway, and made thereby his name as respectable as it was dear to all Spain.

Captiva deindè à militibus adducitur ad eum adulta virgo; adeò eximiâ formâ, ut quàcumque incedebat, converteret omnium oculos. Scipio percunctatus patriam parentesque; inter cætera accepit, desponsam eam principi Celtiberorum [1] adolescenti: Allucio nomen erat. Extemplo igitur parentibus sponsoque ab domo accitis, quùm interìm audiret deperire eum sponsæ amore; ubi primùm venit, accuratiore sermone quàm parentes alloquitur. "Juvenis, inquit, juvenem appello: quò minor sit inter nos hujus sermonis verecundia. Ego, quùm sponsa tua capta à militibus nostris ad me ducta esset, audiremque eam tibi cordi esse, et forma faceret fidem; quia ipse, si frui liceret ludo ætatis, (præsertìm recto et legitimo amore) et non respublica animum nostrum occupasset, veniam mihi dari sponsam impensiùs amanti vellem: tuo, cujus possum, amori faveo Fuit sponsa tua apud me eâdem, quâ apud soceros tuos parentesque suos verecundiâ: servata tibi est, ut inviolatum et dignum me teque dàri tibi donum posset: Hanc mercedem unam pro eo munere paciscor; amicus populo Romano sis: et si me virum bonum credis esse, quales patrem patruumque meum

[1] *Celtiberorum.* The Calteberians are a People of Arragon, near the river Iberus, or Ebro. They have their name from the Gallic Celti, who settled themselves upon its banks.

jam antè hæ gentes norant, scias multos nostri similes in civitate Romanâ esse : nec ullum in terris populum hodiè dici posse, quem minùs tibi hostem tuisque esse velis, aut amicum malis." Adolescens. simul pudore et gaudio perfusus, dextram Scipionis tenens, Deos omnes invocare ad gratiam illi pro se referendam; quoniàm sibi nequaquàm satis facultatis, pro suo animo atque illius erga se merito, esset. Parentes inde cognatique virginis appellati. Qui quoniàm, gratis sibi redderetur virgo : ad quam redimendam satis magnum attulissent auri pondus ; orare Scipionem, ut id ab se donum acciperet, cœperunt : haud minorem ejus rei apud se gratiam futuram esse, affirmantes, quàm redditæ inviolatæ foret virginis. Scipio, quandò tanto opere peterent, accepturum se pollicitus. poni ante pedes jussit : vocatoque ad se Allucio, Super dotem, inquit, quam accepturus à socero es, hæc tibi à me dotalia dona accedent, aurumque tollere, ac sibi habere jussit. His lætus donis honoribusque dimissus domum, implevit populares laudibus meritis Scipionis : Venisse Diis simillimum juvenem: vincentem omnia quùm armis, tùm benignitate ac beneficiis. Itaquè delectu clientium habito, cum delectis mille et quadringentis equitibus intrà paucos dies ad Scipionem revertit.

NARRATION XXXIX.

The arrival of Scipio in Africa—He destroys the army of Asdrubal.

(Rom. Hist. Titus L. book 28.)

Scipio cum C. Lælio duabus quinqueremibus ab Carthagine profectus tranquillo mari plurimùm remis interdùm et leni adjuvante vento, in Africam trajecit. Fortè ità incidit, ut eo ipso tempore Asdrubal pulsus Hispaniâ septem triremibus portum invectus, anchoris positis terræ applicaret naves; quùm conspectæ duæ quinqueremes haud cuiquàm dubio, quin hostium essent, opprimique à pluribus priusquàm portum intrarent, possent, nihil aliud quàm tumultum ac trepidationem simul militum ac nautarum nequicquàm armaque et naves expedientium, fecerunt. Percussa enim ex alto vela paulo acriori vento, priùs in portum intulerunt quinqueremes, quàm Pœni anchoras molirentur. Nec ultrà tumultum ciere quisquam in regio portu audebat. Itaque prior in terram Asdrubal, mox Scipio et Lælius egressi, ad regem pergunt. Magnificumque id Syphaci (nec erat aliter) visum, duorum opulentissimorum eâ tempestate duces populorum, uno die suam pacem

amicitiamque petentes venisse. Utrumque in hospitium invitat; et quoniàm fors eos sub uno tecto esse, atque ad eosdem penates voluisset: contrahere ad colloquium dirimendarum simultatum causâ est conatus; Scipione abnuente, aut privatìm sibi ullum cum Pæno odium esse, quod colloquendo finiret: aut de republicâ se cum hoste agere quicquam injussu senatûs posse. Illud magno opere contendente rege, ne alter hospitum exclusus mensâ videretur, ut in animum induceret ad easdem venire epulas, haud abnuit. Cœnatumque simul apud regem est: et eodem etiam lecto Scipio atque Asdrubal (quia ità cordi erat regi) accubuerunt. Tanta autem inerat comitas Scipioni atquè ad omina naturalis ingenii dexteritas, ut non Syphacem modo barbarum insuetumque moribus Romanis, sed hostem etiam infestissimum, facundè alloquendo sibi conciliârit, mirabilioremque sibi eum congresso coràm visum præ se ferebat, quàm bello rebus gestis. Nec dubitare, quin Syphax, regnumque ejus jam in Romanorum esset potestate. Eam artem illi viro ad conciliandos animos esse. Itaque non quomodò Hispaniæ amissæ sint, quærendum magis Carthaginiensibus esse, quàm quo modo Africam retineant, cogitandum. Non peregrinabundum, nequè circà amœnas oras vagantem tantum ducem Romanum, relictâ provinciâ novæ ditionis, relictis exercitibus, duabus navibus in Africam traje-

disse, et commisisse sese in hostilem terram, in potestatem regiam, in fidem inexpertam: sed potiendæ Africæ spem affectantem. Hoc eum jam pridem volutare in animo, hoc palàm fremere, quòd non quemadmodùm Annibal in Italiâ, sic Scipio in Africâ bellum gereret.

NARRATION XL.

Generosity and greatness of Soul of Scipio.

(Rom. Hist. Titus L. book 27.)

All the enterprises of Scipio are crowned with success. Wherever he engages, he seems sure to vanquish; and his greatness of soul appears ever as conspicuous as his fortune. His designs are not confined to Spain; but extend also to Africa. In fulfilling them he has need of friends, whom he readily secures by his mildness and his generosity, particularly displayed towards a young African Prince.

Scipio castris hostium potitus, quùm præter libera capita omnen prædam militibus concessisset; in recensendis captivis decem millia peditum, duo millia equitum invenit. Ex his Hispanos sinê pretio omnes domum dimisit. Afros vendere quæstorem jussit. Circum-

fusa indè multitudo Hispanorum et antè deditorum, et pridiè captorum, regem eum ingenti consensu appellavit. Tùm Scipio, silentio per præconem facto, sibi maximum nomen imperatoris esse dixit, quo se milites sui appellassent. Regium nomen alibi magnum, Romæ intolerabile esse. Regalem animum in se esse ; si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, tacitè judicarent ; vocis usurpatione abstinerent. Sensêre etiam barbari magnitudinem animi, cujus miraculo nominis alii mortales stuperent, id ex tam alto fastigio aspernantis. Dona indè regulis principibusque Hispanorum divisa, et ex magnâ copiâ captorum equorum trecentos, quos vellet, eligere indibilem jussit. Quùm Afros venderet jussu imperatoris quæstor, puerum adultum inter eos formâ insigni, quùm audisset regii generis esse, ad Scipionem misit. Quem quùm percunctaretur Scipio, quis, et cujas, et cur id ætatis in castris fuisset ; Numidam esse, ait, Massivam populares vocare. Orbum à patre factum apud maternum avum Galam regem Numidarum educatum : cum avunculo Masinissâ, qui nuper cum equitatu subsidio Carthaginiensibus venisset, in Hispaniam trajecisse. Prohabitum propter ætatem à Masinissâ, numquàm antè prælium iniisse. Eo die, quo pugnatum cum Romanis esset, inscio avunculo, clam armis equoque sumpto, in aciem exisse : ibi prolapso equo effusum in præceps, captum

ab Romanis esse. Scipio quùm asservari Numidam jussisset, quæ pro tribunali agenda erant, peragit. Indè quùm se in prætorium recepisset, vocatum eum interrogat, velletne ad Masinissam reverti? Quùm effusis gaudio lacrymis cupere verò, diceret; tùm puero annulum aureum, tunicam lato clavo cum Hispano sagulo, et aureâ fibulâ, equumque ornatum donat, jussisque prosequi quoad vellet equitibus, dimisit.

NARRATION XLI.

Departure of the Roman fleet for Africa, in the year of Rome 204, *A. C.* 548.

(Rom. Hist. Titus L. book 29.)

Scipio, after the conquest of Spain, having been named Consul, declares to the Senate his design of carrying the war into Africa. Fabius, either from envy, or from an excess of prudence, eagerly combats this great project, and his opinion is espoused by a great number of senators, who still fear the presence of Hannibal in Italy. Even the people in general thought they saw nothing but temerity in the enterprise: they refuse him therefore the necessary supplies. But his name alone is sufficient to procure firm allies. With these he embarks with a gallant army from the port of Silybée,[1] in Silybeum.

[1] *Silybeum*, now called Marsala, a city of Sicily, built upon the ruins of the former.

Multæ classes Romanæ è Siciliâ, atque ipso illo portu profectæ erant. Cæterùm non eo bello solùm (nec id mirum; prædatum enim tantummodò pleræque classes ierant) sed ne priore quidem, ulla profectio tanti spectaculi fuit: quamquàm si magnitudine classis æstimaretur, et bini consules cum binis exercitibus antè trajecerant: et propè totidem rostratæ in illis classibus fuerant, quot onerariis Scipio tùm trajiciebat; nam præter quinquaginta longas naves, quadringentis fermè onerariis exercitum transvexit. Sed et bellum bello, secundùm priore ut atrocius Romanis videretur, cum quòd in Italiâ bellabatur, tùm ingentes strages tot exercituum simul cæsis ducibus effecerat; et Scipio dux partìm factis fortibus, partìm suaptè fortunâ quadâm ingentis ad incrementa gloriæ celebratus converterat animos: simul et mens ipsa trajiciendi, nulli antè eò bello duci tentata, quod ad Annibalem detrahendum ex Italiâ, transferendumque et finiendum in Africâ bellum se transire vulgaverat. Concurrerat ad spectaculum in portum omnis turba, non habitantium modò Lilybæi, sed legationum omnium ex Siciliâ: quæ et ad prosequendum Scipionem officii causâ convenerant, et prætorem provinciæ M. Pomponium secutæ fuerant; ad hoc legiones, quæ in Siciliâ relinquebantur, ad prosequendos commilitones processerant: nec classis

modò prospectantibus è terrâ, sed terra etiam omnis circà referta turbâ spectaculo navigantibus erat.

Ubi illuxit, Scipio è prætoriâ nave, silentio per præconem facto, Divi Divæque, inquit, qui maria terrasque colitis, vos precor quæsoque ; uti quæ in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque gerentur mihi, populo plebique Romanæ, sociis nominis que Latino, qui populi Romani, quique meam sectam, imperium auspiciumque terrâ, mari, amnibusque sequuntur, benè verruncent[1] : eaque vos omnia benè juvetis : bonis auctibus auxitis : salvos incolumesque victis perduellibus victores, spoliis decoratos, prædâ onustos triumphantesque, mecum domos reduces sistatis : inimicorum hostiumque ulciscendorum copiam faxitis ; quæque populus Carthaginiensis in civitatem nostram facere molitus est, ea ut mihi populoque Romano in civitatem Carthaginiensium exempla edendi facultatem detis. Secundùm eas preces, cruda exta, cæsâ victimâ, uti mos, in mare porricit, tubâque signum dedit proficiscendi. Vento secundo vehementi satis profecti, celeriter è conspectu terræ ablati sunt.

---

[1] Vertant.

NARRATION XLII.

Hannibal returns to Africa.

(Rom. Hist. Titus L. book 30.)

Scipio scarcely lands in Africa before he is joined by Masinissa, king of Numidia,[1] who declares for the Romans. Syphax, however, the other king of Numidia, and the rival of the other, joins himself to Asdrubal, the general of the Carthaginians. They are defeated by Scipio in several bloody conflicts. Carthage now trembles, and Hannibal is ordered to leave Italy to succour his country.

Frendens gemensque ac vix lacrymis temperans, dicitur legatorum verba audisse. Posteaquàm edita sunt mandata: Jam non perplexè, inquit, sed palàm revocant, qui, vetando supplementum et pecuniam mitti, jampridem retrahebant. Vicit ergò Annibalem non populus Romanus toties cæsus fugatusque, sed senatus Carthaginiensis, obtrectatione atque invìdiâ; neque hâc deformitate reditûs mei tam P. Scipio exsultabit atque efferet sese, quàm Hanno, qui domum nostram, quandò aliâ re non potuit, ruinâ Carthaginis oppres-

---

[1] Numidia lies to the north of Africa, and makes a part of the present kingdom of Algiers.

sit. Jam hoc ipsum præsagiens animo, præparaverat antè naves ; itaque inituli militum turbâ præsidii specie in oppida Bruttii agri, quæ pauca magis metu, quàm fide continebantur, dimissâ, quod roboris in exercitu erat, in Africam transvexit: multis Italici generis (quiâ in Africam secuturos abnuentes concesserant in Junonis Laciniæ delubrum, inviolatum ad eam diem) in templo ipso fœdè interfectis. Rarò quemquam alium patriam exsilii caussâ relinquentem, magis mœstum abisse ferunt, quàm Annibalem hostium terrâ excedentem. Respexisse sæpè Italiæ littora, et Deos hominesque accusantem, in se quoque ac suum ipsis caput exsecratum. Quòd non cruentum ab Cannensi victoriâ militem Romam duxisset. Scipionem ire ad Carthaginem ausum, qui consul hostem in Italiâ Pœnum non vidisset ; se centum millibus armatorum ad Trasimenum et Cannas cæsis, circà Casilinum, Cumasque et Notam consenuisse. Hæc accusans, querensque, ex diutina possessione Italiæ est detractus.

NARRATION XLIII.

Battle of Zama, year of Rome 550, A. C. 202.

(Rom. Hist. Titus L. book 30.)

HANNIBAL arrives in Africa, and proposes a peace with Scipio. The two generals have a personal interview, but cannot agree, save to decide the pretensions of the two republics by the sword. A battle ensues near Zama.[1]

IN castra ut est ventum, pronunciant ambo, Arma expedirent milites, animosque ad supremum certamen, non in unum diem, sed in perpetuum, si felicitas adesse, victores. Roma an Carthago jura gentibus darent, antè crastinam noctem scituros; neque enim Africam, aut Italiam, sed orbem terrarum victoriæ præmium fore; par periculum præmio, quibus adversæ pugnæ fortuna fuisset; nam nequè Romanis effugium ullum patebat in alienâ ignotâque terrâ: et Carthagini supremo auxilio effuso, adesse videbatur præsens exscidium. Ad hoc discrimen procedunt postero die duorum opulentissimorum populorum duo longè clarissimi duces, duo fortissimi exercitus;

---

[1] Zama, now Zag, is in the kingdom of Tunis, on the coast of Barbary.

multa antè parta decora aut cumulaturi ea die, aut eversuri. Anceps igitur spes et metus miscebant animos : contemplantibusque, modò suam, modò hostium aciem, quùm oculis magis quàm ratione pensarent vires, simul læta, simul tristia obversabantur ; quæ ipsis suâ sponte non succurrebant, ea duces admonendo atque hortando subjiciunt. Pœnus, sexdecim annorum in terrâ Italiâ res gestas, tot duces Romanos, tot exercitus occidione occisos ; et sua cuique decora, ubi ad insignem alicujus pugnæ memoriâ militem venerat, referebat. Scipio, Hispanias, et recentia in Africâ prælia, et confessionem hostium, quod nequè non petere pacem propter metum, neque manere in eâ præ insitâ animis perfidiâ potuissent ; ad hoc, colloquium Annibalis in secreto habitum, ac liberum fingenti, quâ velit, flectit. Ominatur, quibus quondam auspiciis patres eorum pugnaverint ad Ægates insulas, ea illis exeuntibus in aciem portendisse Deos ; adesse finem belli, ac laboris. In manibus esse prædam Carthaginis, reditum domum, in patriam, ad parentes, liberos, conjuges, penatesque Deos : celsus hæc corpore, vultuque ità læto, ut vicisse jam crederes, dicebat. Instruit deindè primos hastatos ; post eos, principes : triariis postremam aciem clausit.

Non confertas autem cohortes antè sua quamque signa instruebat, sed manipulos aliquantùm inter se distantes, ut esset spatium,

quo elephanti hostium accepti nihil ordines turbarent. Lælium (cujus antè legati, eo anno quæstoris extrà sortem ex senatusconsulto operâ utebatur) cum Italico equitatu ab sinistro cornu, Masinissam Numidasque ab dextro opposuit; vias patentes inter manipulos antesignanorum velitibus (ea tunc levis armatura erat) complevit; dato præcepto, ut, ad impetum elephantorum, aut post rectos refugerent ordines, aut in dextram lævamque discursu applicantes se antesignanis, viam, quià irruerent in ancipitia tela, belluis darent. Annibal ad terrorem primum elephantos (octoginta autem erant, quot nullâ umquàm in acie antè habuerat) instruxit: deindè auxilia Ligurum, Gallorumque, Balearibus, Maurisque admistis; in secundâ acie Carthaginienses Afrosque, et Macedonum legionem; modico indè intervallo relicto, subsidiariam aciem Italicorum militum (Bruttii plerique erant, vi ac necessitate plures, quàm suâ voluntate discedentem ex Italiâ secuti) instruxit. Equitatum etiam ipsum circumdedit cornibus; dextrum Carthaginienses, sinistrum Numidæ tenuerunt. Varia adhortatio erat in exercitu inter tot homines; quibus non lingua, non mores, non lex, non arma, non vestitus habitusque, non caussa militandi eadem esset. Auxiliaribus, et præsens, et multiplicata merces ex prædâ ostentatur. Galli proprio atque insito in Romanos odio accenduntur. Liguribus

campi uberes Italiæ, deductis ex asperrimis montibus, in spem victoriæ ostentantur. Mauros Numidasque Masinissæ impotenti futuro dominatu terret. Aliis aliæ spes ac metus jactantur. Carthaginiensibus mœnia patriæ, Dii penates, sepulchra majorum, liberi cum parentibus, conjuges pavidæ, aut exscidium servitiumque, aut imperium orbis terrarum; nihil aut metum, aut in spem medium ostentatur. Quùm maximè hæc imperator apud Carthaginienses, duces suarum gentium inter populares, plerisque per interpretes intermistos alienigenis, agerent, tubæ cornuaque ab Romanis cecinerunt: tantusque clamor ortus, ut elephanti in suos, sinistro maximè cornu, verterentur, Mauros ac Numidas. Addidit facilè Masinissa perculsis terrorem, nudavitque ab eâ parte aciem equestri auxilio. Paucæ tamen bestiarum intrepidæ in hostem actæ, inter velitum ordines cum multis suis vulneribus ingentem stragem edebant; resilientes enim ad manipulos velites, quùm viam elephantis ne obtererentur, fecissent; in eos ancipites ad ictum utrimque conjiciebant hastas; nec pila ab antesignanis cessabant; donec undiquè incidentibus telis exacti ex Romanâ acie, hi quoque in suo dextro cornu ipsos Carthaginiensium equites in fugam verterunt. Lælius, ut turbatos vidit hostes, addit perculsis terrorem.

Utrimque equite nudata erat Punica acies;

quùm pedes concurrit, nec spe, nec viribus jam par; ad hoc, dictu parva, sed magni eâdem in re gerendâ momenti res, congruens clamor à Romanis, eòque major et terribilior; dissonæ illis, ut gentium multarum discrepantibus linguis, voces; pugna Romana stabilis, et suo et armorum pondere incumbentium in hostem: concursatio et velocitas illinc major, quàm vis. Igitur primo impetu extemplò movere loco hostium aciem Romani; alâ deindè et umbonibus pulsantes, in summotos gradu illato, aliquantùm spatii, velut nullo resistente, incessêre; urgentibus et novissimis primos, ut semel motam aciem sensêre, quòd ipsum vim magnam ad pellendum hostem addebat. Apud hostes, auxiliares cedentes secunda acies Afri et Carthaginienses adeò non sustinebant, ut contrà etiam, ne resistentes pertinaciter primos cædendo ad se perveniret hostis, pedem referrent. Igitur auxiliares terga dant repentè: et in suos versi, partìm refugere in secundam aciem, partìm non recipientes cædere: uti paulò anteà non adjuti, et tunc exclusi. Et propè duo jam permista prælia erant, quùm Carthaginienses simul cum hostibus, simul cum suis cogerentur conserere manus; non tamen ità perculsos iratosque in aciem accepêre; sed densatis ordinibus, in cornua, vacuumque circà campum extrà prælium ejecere, ne pavidos fugâ, vulneribusque militis, in certam et integram aciem misce-

rent. Cæterùm tanta strages hominum armorumque, locum, in quo steterant paulo antè auxiliares, compleverat, ut propè difficilior transitus esset, quàm per confertos hostes fuerat. Itaquè qui primi erant hastati, per cumulos corporum armorumque, et tabem sanguinis, quà quisque poterat, sequentes hostem, et signa et ordines confuderunt; principum quoque signa fluctuari cæperant, vagam ante se cernendo aciem. Quod Scipio ubi vidit, receptui properè canere hastatis jussit: et saucios in postremam aciem subductis, principes triariosque in cornua inducit; quò tutior firmiorque media hastatorum acies esset. Ità novum de integro prælium ortum est: quippe ad veros hostes perventum erat, et armorum genere, et usu militiæ, et famâ rerum gestarum, et magnitudine vel spei vel periculi pares. Sed et numero Romanus superior erat, et animo: quòd jam equites, jam elephantos fuderat: jam primâ acie pulsâ, in secundam pugnabat.

In tempore Lelius ac Masinissa pulsos per aliquantum spatii secuti equites, revertentes in aversam hostium aciem incurrere. Is demùm equitum impetus fudit hostem; multi circumventi in acie cæsi: multi per patentem circà campum fugâ sparsi, tenente omnia equitatu, passìm interierunt. Carthaginiensium sociorumque cæsa eo die suprà millia viginti: par fermè numerus captus est, cum signis militaribus centum triginta

tribus, elephantis undecim. Victores ad duo millia cecidêre. Annibal cum paucis equitibus inter tumultum elapsus, Adrumetum perfugit: omnia et in prælio, et antè aciem, priusquàm excederet pugnâ, expertus: et confessione etiam Scipionis, omniumque peritorum militiæ, illam laudem adeptus, singulari arte aciem eo die instruxisse. Elephantos in primâ fronte; quorum fortuitus impetus atque intolerabilis vis, signa sequi, et servare ordines (in quo plurimùm spei ponerent) Romanos prohiberet. Deindè auxiliares antè Carthaginiensium aciem, ne homines misti colluvione omnium gentium, quos non fides teneret, sed merces, liberum receptum fugæ haberent; simul primum ardorem atque impetum hostium excipientes fatigarent; ac si nihil aliud, vulneribus suis ferrum hostile hebetarent. Tûm, ubi omnis spes esset, milites Carthaginienses Afrosque: ut omnibus rebus aliis pares, eò quòd integri cum fessis ac sauciis pugnarent, superiores essent: Italicos intervallo quoque diremptos, incertos socii an hostes essent, in postremam aciem summotos. Hoc edito velut ultimo virtutis opere, Annibal quùm Adrumetum refugisset, accitusque indè Carthaginem sexto ac trigesimo post anno, quàm puer indè profectus erat, redisset; fassus in curiâ est, non prælio modò se, sed bello victum, nec spem salutis alibi quàm in pace impetrandâ esse.

NARRATION XLIV.

Scipio is accused by the Tribunes.

(Rom. Hist. Titus L. book 38.)

The battle of Zama, decides in a manner, the fate of Carthage. Even Hannibal himself advises his countrymen to solicit a peace, which they obtain upon the severest terms.

A splendid triumph, and the glorious surname of *Africanus*, is Scipio's reward.

The Romans having afterwards declared war against Antiochus, King of Syria, and having given the command to L. Scipio, the brother of the other. The vanquisher of Hannibal condescended to accept the command as his Lieutenant. When this war was terminated the two brothers Petillius, tribunes of the people, dare accuse this great man of peculation, and even of holding secret intercourse with the enemy. He is therefore cited before the People.

P. Scipioni Africano (ut Valerius Antias auctor est) duo Q. Petillii diem dixerunt : id, prout cujusque ingenium erat, interpretabantur. Alii non Tribunos plebis, sed universam civitatem, quæ id pati posset ; incusabant. Duar maximas orbis terrarum urbes ingratas uno propè tempore in Principes inventas, Romam ingratiorem : si quidem victa Carthago victum Annibalem in exilium expulisset ; Roma vic-

trix victorem Africanum expellat. Alii: Neminem unum civem tantùm eminere debere, ut legibus interrogari non possit; nihil tàm æquandæ libertatis esse, quàm potentissimum quemque posse dicere caussam. Quid autem tutò cuiquam, nedum summam Rempubl., permitti, si ratio non sit reddenda? qui jus æquum pati non possit, in eum vim haud injustam esse. Hæc agitata sermonibus, donec dies dicendæ caussæ venit: nec alius anteà quisquam, nec ille ipse Scipio Consul Censorve majore omnis generis hominum frequentiâ, quam reus illo die in forum est deductus. Jussus dicere caussam, sine ullâ criminum mentione, orationem adeò magnificam de rebus ab se gestis est exorsus, ut satis constaret, neminem unquàm neque meliùs, neque veriùs laudatum esse. Dicebantur enim ab eodem animo ingenioque, à quo gesta erant: et aurium fatisdium aberat; quiâ pro periculo, non in gloriam, referebantur. Tribuni plebis vetera luxuriæ crimina Syracusanorum hybernorum, et Locris Pleminianum tumultum, quùm ad fidem præsentium criminum retulissent; suspicionibus magis, quàm argumentis pecuniæ captæ reum accusarunt. Filium captum sine pretio redditum, omnibusq; aliis rebus Scipionem, tanquàm in ejus unius manu pax Romana bellumque esset, ab Antiocho cultum. Dictatorem eum Consuli, non legatum in provinciâ fuisse: nec ad aliam rem eò

profectum,[1] quàm ut id quod Hispaniæ, Galliæ, Siciliæ, Africæ jam pridem persuasum esset, hoc Græciæque Asiæque et omnibus ad Orientem versùs Regibus gentibusque appareret; unum hominem caput columenque Imperii Romani esse: sub umbrâ Scipionis civitatem dominam orbis terrarum latere: nutus ejus pro decretis Patrum, pro populi jussis esse: infamiâ intactum, invidiâ quâ possunt urgent. Orationibus in noctem perductis, prodicta dies est: ubi ea venit, Tribuni in Rostris primâ luce consederunt. Citatus reus, magno agmine amicorum clientiumque per mediam concionem ad Rostra subiit: silentioque facto. Hoc, inquit, die, Tribuni plebis, vosque Quirites, cum Annibale et Carthaginiensibus signis collatis in Africâ benè ac feliciter pugnavi Itaquè quùm hodiè litibus et jurgiis super sederi æquum sit, ego hinc extemplò in Capitolium ad Jovem optimum maximum Junonemq; et Minervam, cæterosq; Deos, qui Capitolio atque arci præsident, salutandos ibo: hisque gratias agam, quòd mihi et hoc ipso die, et sæpè aliàs egregiè Reipubl gerendæ mentem facultatemque dederunt. Vestrum quoquè quibus commodum est, ite mecum Quirites: el orate Deos ut mei similes principes habeatis: ità, si ab annis septemdecim ad senectutem semper vos ætatem meam honoribus vestris anteistis, ego vestros honores rebus gerendis præcessi. Ab Rostris in Capitolium as-

cendit : simul se universa concio avertit, et secuta Scipionem est : adeò, ut postremò scribæ viatoresque Tribunos relinquerent, nec cum its præter servilem comitatum, et præconem, qui reum ex Rostris citabat, quisquam esset. Scipio non in Capitolio modò, sed per totam urbem omnia templa Deûm cùm populo Romano circumiit. Celebratior is propè dies favore hominum et æstimatione veræ magnitudinis ejus fuit, quàm quò triumphans de Syphace Rege et Carthaginiensibus urbem est invectus.

NARRATION XLV.

The end of Scipio Africanus, year of Rome 569, *A. C.* 183.

(Anc. Hist. Titus L. book 38)

Hic speciosus ultimus dies P. Scipioni illuxit : Post quem, quùm invidiam et certamina cum Tribunis prospiceret, die longiore prodictâ, in Literninum concessit ; certo consilio ne ad caussam dicendam adesset. Major animus et natura erat, ac majori fortunæ assuetus, quàm ut reus esse sciret, et summittere

se in humilitatem caussam dicentium. Ubi dies venit, citarique absens est cœptus, L. Scipio morbum caussam esse cur abesset, excusabat: Quam excusationem quùm Tribuni qui diem dixerant, non acciperent, et ab eâdem superbiâ non venire ad caussam dicendam arguerent, quâ judicium et Tribunos plebis et concionem reliquisset; et quibus jus de se dicendæ sententiæ et libertatem ademisset, his comitatus, velut captos trahens, triumphum de populo Romano egisset, secessionemque eo die in Capitolium à Tribunis plebis fecisset: Habetis ergò temeritatis illius mercedem: Quo duce et auctore nos reliquistis, ab eo ipsi relicti estis: Et tantùm animorum indies nobis decrescit, ut ad quem antè annis septemdecim, exercitum et classem habentem Tribunos plebis Ædilemque in Siciliam mittere ausi sumus, qui prehenderent eum, et Romam reducerent; ad eum privatum ex villâ suâ extrahendum ad caussam dicendam mittere non audeamus? Tribuni plebis appellati ab L. Scipione, ità decreverant, Si morbi caussa excusaretur, sibi placere accipi eam caussam diemque à collegis prodici. Tribunus plebis eo tempore Tib. Sempronius Gracchus erat, cui inimicitiæ cum P. Scipione intercedebant: is, quùm vetuisset nomen suum decreto collegarum adscribi, tristioremque omnes sententiam expectarent, ita decrevit, Quum L. Scipio excuset morbum esse caussam fra-

tri, satis id sibi videri : Se P. Scipionem, priusquàm Romam redisset, accusari non passurum : tum quoque si se appellet, auxilio ei futurum, ne caussam dicat. Ad id fastigium rebus gestis, honoribus populi Romani, P. Scipionem Deorum hominumque consensu pervenisse, ut sub Rostris reum stare et præbere aures adolescentium conviciis, populo Romano magis deforme, quam ipsi sit sit. Adjecit decreto indignationem : Sub pedibus vestris stabit, Tribuni, domitor ille Africæ Scipio ? Ideò quatuor exercitus fudit, fagavitque : ideò Syphacem cepit, Antiochum (recepit enim fratrem consortem hujus gloriæ L. Scipio) ultrà Tauri juga emovit, ut duobus Petilliis succumberet, vos de P Africano palmam peteretis ? Nullisne meritis suis, nullis vestris honoribus unquàm in arcem tutam, et velut sanctam, viri Clari pervenient, ubi si non venerabilis, inviolata saltem senectus eorum considat ?

Senatus deindè, concilio plebis dimisso, haberi est cœptus ; ibi gratiæ ingentes ab universo ordine, præcipue à Consularibus, T. Graccho actæ sunt, quòd Rempublicam privatis simultâtibus potiorem habuisset : et Petillii vexati sunt probris, quòd splendere alienâ invidiâ voluissent ; et spolia ex Africani triumpho peterent. Silentium deindè de Africano fuit : vitam Literni egit, sine desidero urbis. Morientem rure eo ipso loco sepeliri se jussisse ferunt, monumentumque ibi ædificari, ne

funus sibi in ingratâ patriâ fieret. Vir memorabilis, bellicis tamen magis quàm pacis artibus. Memorabilior prima pars vitæ, quàm postrema fuit : quia in juventa bella assiduè gesta ; cum senecta res quoque defloruêre, nec præbita est materia ingenio. Quid ad primum Consulatum secundus, etiamsi censuram adjicias ? quid Asiatica legatio ; et valetudine adversâ inutilis, et filii casu deformata, et post reditum necessitate aut subeundi judicii, aut simul cum patriâ deserendi? Punici tamen belli perpetrati, quo nullum nequè majus nequè periculosius Romani gessêre, unus præcipuam gloriam tulit.

NARRATION XLVI.

Death of Hannibal, the same year,

(Rom. Hist. Titus L. book 39.)

The humiliation of Carthage seemed not sufficient to gratify the hatred and the ambition of the Romans. Its destruction is also determined—young Scipio, the son of Paulus Emilius, is charged with this cruel expedition. Hannibal had not the grief to be present at its ruin, but exiled by orders of the Romans, he was changing from place to place, to seek an asylum. Such was the fear with which even his name inspired the Romans, that they took the most base means to destroy him.

Duo clari Imperatores eo anno decessêre, Annibal, P. Scipio, Ad Prusiam Regem legatus, T, Quintius Flamininus venit, quem suspectum Romanis, et receptus post fugam Antiochi Annibal, et bellum adversùs Eumenem motum, faciebat. Ibi, seu quiâ à Flaminino inter cætera objectum Prusiæ erat: hominem omnium qui viverent infestissimum populo Romano apud eum esse, qui patriæ suæ primum, deindè fractis ejus opibus, Antiocho Regi auctor belli adversùs populum Romanum fuisset; seu quiâ ipse Prusias, ut gratificaretur præsenti Flaminino Romanisque, per se necandi aut tradendi ejus in postestatem consilium cepit; â primo colloquio Flaminini, milites extemplò ad domum Annibalis custodiendam missi sunt. Semper talem exitum vitæ suæ Annibal prospexerat animo; et Romanorum inexpiable odium in se cernens, et fidei Regum nihil sanè confisus. Prusiæ verò levitatem etiam expertus erat. Flaminini quoque adventum velut fatalem sibi horruerat. Ad omnia undiquè infesta, ut iter semper aliquod præparatum fugæ haberet, septem exitus è domo fecerat; et ex iis quosdam occultos, ne custodiâ sepirentur. Sed grave imperium Regum nihil inexploratum, quod investigari volunt, efficit: totius circuitum domûs ità custodiis complexi sunt, ut nemo indè elabi posset, Annibal, posteaquàm est nunciatum milites Regios in vestibulo esse; postico, quod devium maximè at-

que occultissimi exitûs erat, fugere conatus, ut id quoque occursu militum obseptum sensit, et omnia circà clausa custodiis dispositis esse, venenum (quod multò antè præparatum ad tales habebat casus) poposcit. Liberemus, inquit, diuturnâ curâ populum Romanum: quando mortem senis exspectare longum censent. Nec magnam nec memorabilem ex inermi proditoque Flamininus victoriam feret: mores quidem populi Romani quantùm mutaverint, vel hic dies argumento erit. Horum patres Pyrrho Regi hosti armato exercitum in Italiâ habenti, ut à veneno caveret, prædixerunt: hi legatum Consularem qui auctor esset Prusiæ per scelus occidendi hospitis, miserunt. Execratus deindè in caput regnumque Prusiæ, et hospitales Deos violatæ ab eo fidei testes invocans, poculum exhausit. Hic vitæ exitus fuit Annibalis.

NARRATION XLVII.

Manners of the Romans, after the death of Carthage.

(Rom. Hist. Salluste de Bello Jugentha.)

CARTHAGE being subdued, the Romans extend their conquests both east and west. They reduce Macedonia into a Roman Province: and under pretence of aiding the Greeks against their Athenian masters, actually subjected them to themselves.—But in proportion as Rome extended her conquests, she also degenerated from her ancient virtues. Their decline is drawn here in energetic stile, by Sallust:

Antè Carthaginem deletam, populus et senatus romanus placidè modestèque inter se rempublicam tractabant; nequè gloriæ nequè dominationis certamen inter cives erat; metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi formido illa mentibus discessit, ilicet ea, quæ secundæ res amant, lascivia atque superbia incessêre. Ità, quod in adversis rebus optaverant otium, postquàm adepti sunt, asperius acerbiusque fuit. Namque cœpêre nobilitas dignitatem, populus libertatem in libidinem vertere; sibi quisque ducere, trahere, rapere: ita omnia in duas partes abstracta sunt; respublica quæ media fuerat, dilacerata.

Ceterùm nobilitas factione magis pollebat; plebis vis soluta, atque in multitudinem dispersa minùs poterat. Paucorum arbitrio, belli domique respublica agitabatur; penès eosdem ærarium, provinciæ, magistratus, gloriæ, triumphique erant; populus militiâ atque inopiâ urgebatur; prædas bellicas imperatores cum paucis diripiebant: intereà parentes aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Ità, cum potentiâ avaritia, sine modo modestiâque invadere, polluere, et vastare omnia; nihil pensi neque sancti habere, quoad semetipsa præcipitavit. Nam ubi primùm ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam injustæ potentiæ anteponerent, moveri civitas; et dissensio civilis, quasi permixtio terræ, oriri cœpit.

Nam postquàm Tiberius, et Caius Gracchus, quorum majores punico atque aliis bellis multûm reipublicæ addiderant, vindicare plebem in libertatem et paucorum scelera patefacere cœpêre; nobilitas, noxia atque eo perculsa, modò per socios et nomen latinum, interdùm per equites romanos, quos spes societatis à plebe dimoverat, Gracchorum actionibus obviàm ierat: et primò Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Caium, tribunum plebis alterum, alterum triumvirum coloniis deducendis, cum Marco Fulvio Flacco ferro necaverat. Et sanè Gracchis, cupidine victoriæ, haud satis animus moderatus fuit;

sed bono vinci satiùs est, quam malo more injuriam vincere. Igitur eâ victoriâ nobilitas ex lubidine suâ usa, mortales multos ferro aut fugâ extinxit ; plusque in reliquum sibi timoris quàm potentiæ addidit : quæ res plerumque magnas civitates pessumdedit, dùm alteri alteros vincere quovis modo, et victos acerbiùs ulcisci volunt.

NARRATION XLVIII.

First exploits of Jugurtha.

(Rom. Hist. Salluste de Bello Jugurtha.)

The war of Jugurtha shews in still stronger light the great and growing corruption of the Romans. In effect his war and even his crimes were ascribed to that cause. He violated every law, both human and divine, because he knew he could find himself tolerated through the avarice of the grandees of Rome.

Massinissa, rex Numidarum[1], in amicitiam receptus à Publio Scipione, cui posteà Africano cognomen ex virtute fuit, multa et

[1] Numidarum, See page 270.

præclara rei militaris facinora fecerat: ob quæ, victis Carthaginiensibus, et capto Syphace, cujus in Africâ magnum atque latè imperium valuit, populus romanus quascumque urbes et agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Masinissæ bona atque honesta nobis permansit: sed imperii vitæque ejus finis idem fuit. Dein Micipsa filius regnum solus obtinuit, Manastabale et Gulussâ fratribus morbo absumtis. Is Adherbalem, et Hiempsalem ex sese genuit; Jugurthamque, Manastabalis fratris filium, quem Masinissa, quòd ortus ex concubinâ erat, privatum reliquerat, eodem cultu, quo liberos suos, domi habuit.

Qui, ubi primùm adolevit, pollens viribus, decorâ facie, sed multo maximè ingenio validus, non se luxui neque inertiæ corrumpendum dedit: sed, utì mos gentis illius est, equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare; et, quùm omnes gloriâ anteiret, omnibus tamen carus esse: ad hoc, pleraque tempora in venado agere; leonem, atque alias feras primus, aut in primis ferire, plurimùm facere, et minimùm ipse de se loqui.

Quibus rebus Micipsa tametsi initio lætus fuerat, existumans Jugurthæ virtutem regno suo gloriæ fore, tamen postquàm hominem adolescentem, exactâ ætate suâ et parvis liberis, magis magisque crescere intelligit: vehementer eo negotio permotus, multa cum

animo suo volvebat. Terrebat eum natura mortalium, avida imperii, et præceps ad explendam animi cupidinem ; prætereà opportunitas suæque et liberorum ætatis, quæ etiam mediocres viros spe prædæ transversos agit : ad hoc, studia Numidarum in Jugurtham accensa ; ex quibus, si talem virum dolis interfecisset, ne qua seditio aut bellum oriretur anxius erat.

His difficultatibus circumventus, ubi videt neque per vim neque insidiis opprimi posse hominem tam acceptum popularibus ; quòd erat Jugurtha manu promtus, et appetens gloriæ militaris, statuit eum objectare periculis, et eo modo fortunam tentare. Igitur bello numantino Micipsa, quùm populo romano equitum atque peditum auxilia mitteret, sperans vel ostentando virtutem, vel hostium sævitiâ facilè eum occasurum, præfecit Numidis, quos in Hispaniam mittebat. Sed ea res longè aliter ac ratus erat evenit. Nam Jugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam Publii Scipionis, qui tùm Romanis imperator erat, et morem hostium cognovit ; multo labore multâque curâ, prætereà modestissimè parendo, et sæpè obviàm eundo periculis, in tantam claritudinem brevi pervenerat, uti nostris vehementer carus[1], Numantinis

[1] *Numantinis*, inhabitants of Numantia, a considerable city of Celtiberia, taken and destroyed by Scipio, A. C. 134. Its ruins may now be seen near Soria, in Old Castile.

maxumo terrori esset. Ac sanè, quod difficillimum in primis est, et prælio strenuus erat et bonus consilio; quorum alterum, ex providentiâ, timorem; alterum, ex audaciâ, temeritatem adferre plerumque solet. Igitur imperator omnes ferè res asperas per Jugurtham agere, in amicis habere, magis magisque eum in dies amplecti; quippè cujus neque consilium nequè inceptum ullum frustrà erat. Hùc accedebat munificentia animi, et ingenii solertia, quibus rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitiâ conjunxerat.

Eâ tempestate in exercitu nostro fuêre complures novi atque nobiles, quibus divitiæ bono honestoque potiores erant, factiosi, domi potentes, apud socios clari magis, quàm honesti: qui Jugurthæ non mediocrem animum pollicitando accendebant, si Micipsa rex occidisset, fore uti solus imperio Numidiæ potiretur: in ipso maximam virtutem, Romæ omnia venalia esse.

Sed postquàm, Numantiâ deleta, Publius Scipio dimittere auxilia et ipse reverti domum decrevit; donatum atque laudatum magnificè pro concione Jugurtham in prætorium adduxit; ibique secretò monuit, uti potiùs publicè quam privatim, amicitiam populi romani coleret; neu quibus largiri insuesceret; periculosè à paucis emi quod multorum esset; si permanere vellet in suis artibus, ultrò illi et gloriam et regnum venturum: sin properan-

tiùs pergeret, suâmet ipsum pecuniâ precipitem casurum.

Sic locutus, cum litteris eum, quas Micipsæ redderet, dimisit. Earum sententia hæc erat : Jugurthæ tui bello mumantino longè maxima virtus fuit ; quam rem certò scio tibi gaudio esse. Nobis ob merita sua carus est ; ut idem senatui, populoque romano sit, summâ ope nitemur. Tibi quidem pro nostrâ amicitiâ gratulor : en habes virum dignum te, atque avo suo Masinissâ. Igitur rex, ubi ea quæ famâ acceperat, ex litteris imperatoris esse cognovit, quùm virtute, tùm gratiâ viri permotus, flexit animum suum, et Jugurtham beneficiis vincere adgressus est ; statimque eum adoptavit, et testamento pariter cum filiis hæredem instituit.

NARRATION XLIX.

Jugurtha visits Rome.

(Rom. Hist. Sallust de Bello Jugurthi.)

Scarcely had Micipsa breathed his last, when Jugurtha turns against his two adopted brothers, the very power, which he had received for their protection. Hiempsal falls the first victim to his ambition. Having obtained at Rome by force of presents, impunity for his crime, and being persuaded that the murder of Adherbal, must be attended with dangerous consequences, he seizes his person, and destroys him by the most cruel torments.

Quod postquàm Romæ cognitum est, et res in senatu agitari cœpta, iidem illi ministri regis, interpellando, ac sæpè gratiâ, interdùm jurgiis, trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant. Ac ni Caius Memmius, tribunus plebis designatus, vir acer, et infestus potentiæ nobilitatis, populum romanum edocuisset id agi, uti per paucos factiosos Jugurthæ scelus condonaretur; profectò omnis invidia, prolatandis consultationibus, dilapsa foret: tanta vis gratiæ, atque pecuniæ regis erat! Sed ubi senatus delicti conscientiâ populum timet; lege sempronià, provinciæ futuris consulibus Numidia atque Italia decretæ: consules de-

clarati Publius Scipio Nasica, Lucius Bestia Calpurnius : Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit. Dein exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur, stipendium aliaque, quæ bello usui forent, decernuntur.

At Jugurtha, contrà spem nuncio accepto, (quippè cui Romæ omnia venire, in animo hæserat) filium, et cum eo duos familiares ad senatum legatos mittit ; iisque, uti illis quos Hiempsale interfecto miserat, præcipit, omnes mortales pecuniâ adgrediantur. Qui postquàm Romam adventabant, senatus à Bestiâ consultus est, placeret ne legatos Jugurthæ recipi mœnibus : iique decrevêre, ni regnum, ipsumque deditum venissent, uti in diebus proximis decem Italiâ cederent. Consul Numidis ex senatûs decreto nunciari jubet ; ita, infectis rebus, illi domum discedunt . . .

caussâ, mittitur à consule Sextius quæstor in oppidum Jugurthæ Vaccam ; cujus rei species erat acceptio frumenti quod Calpurnius palàm legatis imperaverat, quoniam deditionis morâ induciæ agitabantur. Igitur rex, uti constituerat, in castra venit : ac pauca præsenti consilio locutus de invidiâ facti sui, atque uti in deditionem acciperetur ; reliqua cum Bestiâ et Scauro secreta transegit. Dein postero die, quasi per saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur : sed, uti pro consilio imperatum erat, elephanti xxx, pecus, atque equi multi, cum non parvo argenti pondere, quæstori traduntur. Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur : in Numidiâ et exercitu nostro pax agitabatur.

Postquàm res in Africà gestas, quoque modo actæ forent, fama divulgavit, Romæ per omnes locos et conventus de facto consulis agitari : apud plebem gravis invidia : Patres solliciti erant ; probarent ne tantum flagitium, an decretum consulis subverterent, parùm constabat. Ac maximè eos potentia Scauri, quòd is auctor et socius Bestiæ ferebatur, à vero bonoque impediebat. At Caius Memmius, cujus de libertate ingenii, et odio potentiæ nobilitatis suprà diximus, inter dubitationem et moras senatûs, concionibus populum ad vindicandum hortari ; monere ne rempublicam, ne libertatem suam desererent ; multa superba, crudelia facinora nobilitatis ostendere ;

prossùs intentus omni modo plebis animum accendebat. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

Persuadet, uti Lucius Cassius, qui tùm prætor erat ad Jugurtham mitteretur, eumque, interpositâ fide publicâ, Romam duceret; quò faciliùs, indicio regis, Scauri et reliquorum quos pecuniæ captæ arcessebant, delicta patefierent. Dum hæc Romæ geruntur, qui in Numidiâ relicti ab Bestiâ exercitui præerant, secuti morem imperatoris sui, plurima et flagitiosissima facinora fecêre. Fuêre qui, auro corrupti, elephantos Jugurthæ traderent; alii perfugas venderent; pars ex pacatis prædas agebant; tanta vis avaritiæ in animos eorum, veluti tabes, invaserat! At Cassius Prætor, prælatâ rogatione à Caio Memmio, ac perculsâ omni nobilitate, ad Jugurtham proficiscitur; eique, timido et ex conscientiâ diffidenti rebus suis, persuadet, quoniàm se populo romano dedidisset ne vim quàm misericordiam ejus experiri malit: privatìm prætereà fidem suam interponit, quàm ille non minoris, quàm publicam ducebat. Talis eâ tempestate fama de Cassio erat.

Igitur Jugurtha, contrà decus regium, cultu quàm maximè miserabili, cum Cassio Romam venit. At tametsi in ipso magna vis animi erat; confirmatus ab omnibus, quorum potentiâ aut scelere cuncta ea gesserat quæ

suprà memoravimus, Caium Bæbium tribunum plebis magnâ mercede parat cujus impudentiâ contrà jus et injurias omnes munitus foret. Ac Caius Memmius advocatâ concione; quamquàm regi infesta plebes erat, et pars in vincula duci jubebat, pars, ni socios sceleris aperiret, more majorum de hoste supplicium sumi; dignitati magis quàm iræ consulens sedare motus, et animos eorum mollire, postremò confirmare fidem publicam per sese inviolatam fore. Post, ubi silentium cœpit, producto Jugurthâ verba facit: Romæ Numidiæque facinora ejus memorat; scelera in patrem, fratresque ostendit; quibus juvantibus, quibusque ministris ea egerit, quamquàm intelligat populus romanus, tamen velle manifesta magis ex illo habere; si vera aperiret, in fide et clementiâ populi romani magnam spem illi sitam: sin reticeat, non sociis saluti fore, sed se suasque spes corrupturum.

Dein, ubi Memmius dicendi finem fecit, et Jugurtha respondere jussus est, Caius Bæbius, tribunus plebis quem pecuniâ corruptum supra diximus, regem tacere jubet: ac, tametsi multitudo quæ in concione aderat, vehementer accensa terrebat eum clamore, vultu, sæpè impetu, atque aliis omnibus, quæ ira fieri amat, vicit tamen impudentia. Ita, populus, ludibrio habitus, ex concione discedit: Jugurthæ Bestiæque, et ceteris quos illa quæstio exagitabat, animi augescunt.

Erat eâ tempestate Romæ Numida quidam, nomine Massiva, Gulussæ filius, Masinissæ nepos ; qui, quia in dissensione regum Jugurthæ adversus fuerat, deditâ Cirtâ et Adherbale interfecto, profugus ex Africâ abierat. Huic Spurius Albinus, qui proximo anno post Bestiam cum Quinto Minucio Rufo consulatum gerebat, persuadet, quoniam ex stirpe Masinissæ sit, Jugurtham ob scelera invidia cum metu urgeat, regnum Numidiæ ab senatu petat. Avidus consul belli gerendi, moveri quàm senescere, omnia malebat : ipsi provincia Numidia, Minucio, Macedonia evenerat. Quæ postquàm Massiva agitare cœpit, neque Jugurthæ in amicis satis præsidii est, quòd eorum alium conscientia, alium mala fama et timor animi impediebat : Bomilcari, proximo ac maximè fido sibi, imperat, pretio, sicuti multa confecerat, insidiatores Massivæ paret ac maximè occultè : sin id parùm procedat, quovis modo Numidam interficiat. Bomilcar maturè regis mandata exsequitur ; et per homines talis negotii artifices, itinera egressusque ejus, postremò loca atque tempora cuncta explorat ; dein, ubi res postulabat, insidias tendit. Igitur unus ex eo numero, qui ad cædem parati erant, paulò inconsultius Massivam adgreditur, illum obtruncat : sed ipse deprehensus, multis hortantibus, et in primis Albino consule, indicium profitetur. Fit reus magis ex æque bonoque, quàm ex jure gen-

tium, Bomilcar, comes ejus qui Romam fide publicâ venerat.

At Jugurtha, manifestus tanti sceleris, non priùs omisit contrà verum niti, quàm animadvertit super gratiam atque pecuniam suam invidiam facti esse. Igitur, quamquàm in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat; regno magis quàm vadibus consulens, clàm in Numidiam Bomilcarem dimittit, veritus ne reliquos populares metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumtum foret: et ipse paucis diebus eòdem profectus est, jussus à senatu Italiâ decedere. Sed postquàm Româ egressus est, fertur, sæpè tacitus eò respicens, postremò dixisse Urbem venalem et maturè perituram, si emptorem invenerit.

NARRATION L.

Nomination of Marius to the Consulate.

(Rom. Hist. Sallust de Bello Jugurthi.)

JUGURTHA at his return to his kingdom surprises the Roman army; cuts most of them in pieces; and causes the captives to pass under the yoke.

The Romans then give the command to Metellus. He restores order and gives courage to the troops. Just as he obtains the greatest success against Jugurtha, the faction of Rome sends him Marius as his successor.

Marium jam anteâ consulatûs ingens cupido exagitabat: ad quem capiendum, præter vetustatem familiæ, alia omnia abundè erant; industria, probitas, militiæ magna scientia, animus belli ingens, domi modicus, libidinis et divitiarum victor, tantummodò gloriæ avidus. Sed is, natus et omnem puritiam Arpini altus, ubi primùm ætas militiæ patiens fuit, stipendiis faciendis, non græcâ facundiâ neque urbanis munditiis sese exercuit: ita, inter artes bonas integrum ingenium brevi adolevit. Ergò, ubi primùm tribunatum militarem à populo petit, plerisque faciem ejus ignorantibus, facilè notus per omnes tribus declaratur. Deindè ab eo magistratu, alium post alium sibi pepe-

rit; semperque in potestatibus eo modo agitabat, ut ampliore, quàm gerebat, dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir (nam posteà ambitione præceps datus est) consulatum appetere non audebat. Etiam tum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat: novus nemo tàm clarus, neque tàm egregiis factis erat, quin is indignus illo honore et quasi pollutus haberetur.

Ab Metello, petendi gratia, missionem rogat: cui, quamquàm virtus, gloria, atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemptor animus et superbia, commune nobilitatis malum. Itaquè primùm commotus insolità re, mirari ejus consilium et quasi per amicitiam monere, ne tam prava inciperet, neu super fortunam animum, gereret; non omnia omnibus cupienda esse; debere illi res suas satis placere; postremò caveret id petere à populo romano, quod illi jure negaretur. Postquàm hæc atque alia talia dixit, neque animus Marii flectitur; respondit, ubi primum potuisset per negotia publica, facturum sese quæ peteret. Ac posteà sæpiùs eadem postulanti fertur dixisse, ne festinaret abire; satis maturè illum cum filio suo consulatum petiturum. Is eo tempore in contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter xx. Quæ res Marium, cùm pro honore quem affectabat, tùm contra Metellum, vehementer accenderat. Ita, cupidine atque irâ, pessimis consultori-

bus, grassari; nequè facto ullo, nequè dicto abstinere, quod modò ambitiosum foret; milites quibus in hibernis præerat, laxiore imperio quàm anteà habere: apud negotiatores, quorum magna multitudo Uticæ erat, criminosè simul et magnificè de bello loqui: dimidia pars exercitûs si sibi permitteretur, paucis diebus Jugurtham in catenis habiturum: ab imperatore consultò trahi quòd, homo inanis et superbiæ regiæ, imperio nimis gauderet. Quæ omnia illis eò firmiora videbantur, quòd diuturnitate belli res familiares corruperant, et animo cupienti nihil satis festinatur. . . . .

. . . . . .

Marium, fatigantem de profectione, simul et invisum et offensum sibi parùm idoneum ratus, domum dimittit. Et Romæ plebes, litteris quæ de Metello ac Mario missæ erant cognitis, volentia de ambobus acceperant. Imperatori nobilitas, quæ anteà decori fuerat, invidiæ esse; at illi alteri generis humilitas favorem addiderat: ceterùm in utroque magis studia partium, quàm bona aut mala sua, moderata. Prætereà seditiosi magistratus vulgum exagitare, Metellum omnibus concionibus capitis arcessere, Marii virtutem in majus celebrare. Deniquè plebes sic accensa, uti opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitæ erant, relictis operibus, frequentarent Marium, et sua necessaria post illius honorem ducerent. Ita, perculsâ nobilitate,

post multas tempestates novo homini consulatus mandatur et posteà populus, à tribuno plebis Manlio Mantino rogatus quem vellet cum Jugurthâ bellum gerere, frequens Marium jussit. . . . . .

. . . . . .

Interim Metellus Româ per litteras fit certior, Mario provinciam Numidiam datam; nam consulem factum antè acceperat. Quibus rebus suprà bonum atque honestum perculsus, nequè lacrymas tenere, neque moderari linguam: vir egregius in aliis artibus, nimis molliter ægritudinem pati. Quam rem alii in superbiam vertebant; alii, bonum ingenium contumeliâ accensum esse; multi quòd jam parta victoria ex manibus eriperetur: nobis satis cognitum, illum magis honore Marii, quàm injuriâ suâ excruciatum; neque tam anxiè laturum fuisse, si ademta provincia alii quàm Mario traderetur . . . . . .

. . . . . .

At Marius, cupientissimâ plebe consul factus, postquàm ei provinciam Numidiam populus jussit, anteà jam infestus nobilitati, tum verò multus atque ferox instare: singulos modò, modò universos lædere: dictitare, sese consulatum ex victis illis quasi spolia cepisse: alia prætereà magnifica pro se, et illis dolentia: interìm, quæ bello opus erant, prima habere; postulare legionibus supplementum: auxilia à populis et regibus, sociisque arces-

sere; prætereà ex Latio fortissimum quemque, plerosque militiâ, paucos famâ cognitos accire, et ambiendo cogere homines emeritis stipendiis, secum proficisci. Neque illi senatus, quamquàm adversus erat, de ullo negotio abnuere audebat: ceterùm supplementum etiam lætus decreverat; quia, nequè plebe militiam volente putabatur Marius aut belli usum, aut studia vulgi amissurus. Sed ea res frustrà sperata; tanta libido cum Mario eundi plerosque invaserat! sese quisque prædâ locupletem fore, victorem domum rediturum, alia hujuscemodi animis trahebant; et eos non paulùm oratione suâ Marius arrexerat.

Igitur Marius cum aliquanto majore numero, quàm decretum erat, in Africam profectus, paucis diebus Uticam advehitur. Exercitus ei traditur à Publio Rutilio legato: nam Metellus conspectum Marii fugerat, ne videret ea, quæ audita animus tolerare nequiverat.

NARRATION LI.

Jugurtha is delivered up to Sylla, by Bocchus.

(Rom. Hist. Sallust de Bello Jugurthi.)

The war of Numidia is not terminated but by the most base treason. Sylla the questor of Marius, detaches Bocchus, king of Mauritania[1] from his alliance with Jugurtha, and persuades him to deliver him up to the Romans.

Ubi plerùmque noctis processit, Sylla à Boccho occultè accersitur; ab utroque tantummodò fidi interpretes adhibentur; prætereà Dabar internuncius, sanctus vir, ex sententiâ ambobus jurat; ac statim rex sic incipit.

Numquàm ego ratus sum fore, uti rex maximus in hâc terrâ, et omnium, quos novi, opulentissimus, privato homini gratiam deberem. Et herculè, Sylla, antè te cognitum, multis orantibus, aliis ultrò egomet opem tuli;

---

[1] Mauritania, a country of western Africa, is divided into two parts: Mauritania Tingitana, now the kingdom of Fez—bounded by the ocean, the Straits of Gibraltar and the river Melahath; and Mauritania Cæsariensis, now Algiers.

nullius indigui. Id imminutum, quod ceteri dolere solent, ego lætor. Fuerit mihi pretium, eguisse aliquandò tuæ amicitiæ, quâ apud animum meum nihil carius habeo. Id adeo experiri licet: arma, viros, pecuniam, postremò quidquid animo libet, sume, utere; et, quoàd vives, numquàm tibi redditam gratiam putaveris: semper apud me integra erit: deniquè nihil me sciente frustrà voles; nam, ut ego existimo, regem armis, quàm munificentiâ vinci, minùs flagitiosum.

Ceterùm de republicâ vestrâ, cujus curator hùc missus es, paucis accipe. Bellum ego populo romano neque feci, nequè factum umquàm volui; fines meos adversùm armatos armis tutus sum: id omitto, quandò vobis ita placet. Gerite, uti vultis, cum Jugurthâ bellum; ego flumen Mulucham, quod inter me et Micipsam fluit, non egrediar, nequè id intrare Jugurtham sinam: Prætereà si quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulsus abibis.

Ad ea Sulla pro se breviter et modicè; de pace et de communibus rebus multis disseruit. Deniquè regi patefecit, quod polliceatur, senatum et populum romanum, quoniàm armis ampliùs valuissent, non in gratiâ habituros; faciendum aliquid, quod illorum magis quàm suâ retulisse videretur: id adeò in promptu esse, quoniam copiam Jugurthæ haberet; quem si Romanis tradidisset, fore ut illi pluri-

mùm deberetur ; amicitiam, fœdus, Numidiæ partem quam nunc peteret, tunc ultrò adventuram.

Rex primùm negitare : cognationem, affinitatem, prætereà fœdus intervenisse : ad hoc metuere, ne fluxâ fide usus, popularium animos averteret, quîs et Jugurtha carus, et Romani invisi essent. Denique sæpiùs fatigatus, leniter et ex voluntate Syllæ omnia se facturum promittit. Ceterùm ad simulandam pacem, cujus Numida, defessus bello, avidissimus, quæ utilia visa constituunt : ita, composito dolo, digrediuntur.

At rex postero die Asparem, Jugurthæ legatum, appellat : dicitque sibi per Dabarem, ex Syllâ cognitum, posse conditionibus bellum componi ; quàmobrem regis sui sententiam exquireret. Ille lætus in castra Jugurthæ venit. Dein ab illo cuncta edoctus, properato itinere, post diem octavum redit ad Bocchum ; et ei nunciat, Jugurtham cupere omnia quæ imperarentur facere, sed Maro parum fidere, sæpè anteà cum imperatoribus romanis pacem conventam frustrà fuisse ; ceterùm Bocchus, si ambobus consultum et ratam pacem vellet, daret operam, ut unà ab omnibus, quasi de pace, in colloquium veniretur, ibique sibi Syllam traderet ; quùm talem virum in potestate habuisset, tùm fore, uti jussu S. P. Q. R. fœdus fieret ; neque hominem nobilem, non suâ

ignaviâ, sed ob rempublicam in hostium potestate, relictum iri.

Hæc Maurus secum ipse diù volvens, tandem promisit. Ceterùm, dolo an verè cunctatus, parùm comperimus: sed plerumque regiæ voluntates, uti vehementes, sic mobiles, sæpè ipsæ sibi adversæ. Posteà tempore et loco constituto, in colloquium uti de pace veniretur, Bocchus Syllam modò, modò Jugurthæ legatum apellare; benignè habere; idem ambobus polliceri; illi pariter læti ac spei bonæ pleni esse. Sed nocte eâ, quæ proxima fuit antè diem colloquio decretum, Maurus, adhibitis amicis, ac statim immutatâ voluntate, remotis ceteris, dicitur secum ipse multa agitavisse, vultu, colore, ac motu corporis pariter atque animo varius; quæ scilicet, tacente ipso, occulta pectoris, oris immutatione, patefecisse. Tamen postremò Syllam accersi jubet; et ex illius sententiâ Numidæ insidias tendit. Deindè, ubi dies advenit, et ei nunciatum est Jugurtham haud procul abesse, cum paucis amicis et quæstore nostro, quasi obvius honoris caussâ, procedit in tumulum facillimum visu insidiantibus. Eòdem Numida cum plerisque necessariis suis inermis, uti dictum erat, accedit, ac statim, signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati: Jugurtha Syllæ vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus.

PORTRAIT OF SYLLA.

Sylla gentis patriciæ nobilis fuit, familiâ propè jam exstinctâ majorum ignaviâ, litteris græcis atque latinis, juxtà atque doctissimè eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriæ cupidior : otio luxurioso esse ; tamen ab negotiis numquàm voluptas remorata, nisi quòd de uxore potuit honestiùs consuli ; facundus, callidus, et amicitiâ facilis : ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis : multarum rerum, ac maximè pecuniæ largitor atque illi felicissimo omnium antè civilem victoriam, nunquàm super industriam fortuna fuit : multique dubitavêre, fortior, an felicior esset : nam, posteà quæ fecerit, incertum habeo, pudeat magis an pigeat disserere.

His conduct to the Army.

Postquàm in Africam, atque in castra Marii cum equitatu venit, rudis anteà et ignarus belli solertissimus omnium in paucis tempestatibus factus est. Ad hoc, milites benignè appellare : multis rogantibus, aliis per se ipse dare beneficia : invitus accipere, sed ea properantiùs quam æs mutuum reddere ; ipse ab nullo repetere ; magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent : joca atque seria cum humil-

limis agere: in operibus, in agmine, atquè ad vigilias multus adesse: neque interim, quod ambitio prava solet, consulis aut cujusquam boni famam lædere; tantummodò nequè consilio, nequè manu priorem alium pati, prleosque antevenire. Quibus rebus et artibus, brevi, Mario militibusque carissimus factus.

NARRATION LII.

L. Catilina, year of Rome, 690, *A. C.* 63.

(Rom. Hist. Sallust de Bello Jugurthi.)

HAVING terminated the war with Jugurtha, Marius adds still more to his glory, by the defeat of the Cimbri[1] and the Teutons. But his ambi-

[1] The Cimbri and Teutones were nations who emigrated from the North of Europe, near the Baltic, and cast themselves into the country of Noricum, now called Bavaria and the Tyrol. They penetrated into Southern Gaul, where they were joined by some of the Gauls. Victorious every where, they had beaten five Consuls with a terrible carnage. Rome lost in one day, 80,000 men, in the year of Rome 648, upon the banks of the Rhone, where the two consular armies were ruined. The Teutones were defeated by Marius, near to Aix, in Provence, in the year 651, and the year after he defeated the Cimbri, near to Verceil, in Italy.

tion not possessing any bounds, he wished to assume the charge of the war against Mithridates, to the exclusion of Sylla, on whom it devolved as Consul. This was the cause of that implacable hatred between the two rivals, which even went to the filling of Italy with murders, and with carnage.

Rome, having at last recovered her liberty, seemed to be about to enjoy her repose. But whilst Pompey causes her to triumph over her only powerful enemy, Mithridates, and whilst all seems peaceful at home, Rome is actually upon the verge of destruction, through the conspiracy of L. Catiline.

Lucius Catilina, nobili genere natus, fuit magnâ vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentiâ bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis grata fuêre; ibique juventutem suam exercuit. Corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, suprà quàm cuiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cujuslibet rei simulator ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis loquentiæ, sapientiæ parùm. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc, post dominationem L. Syllæ, libido maxima invaserat reipublicæ capiendæ: neque, id quibus modis assequeretur, dùm sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopiâ rei familiaris et conscientiâ scelerum: quæ

utraque his artibus auxerat quas suprà memoravi. Incitabant præterea corrupti civitatis mores, quos pessima ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia vexabant. Res ipsa hortari videtur, quoniàm de moribus civitatis tempus admonuit, suprà repetere, ac paucis instituta majorum, domi militiæque quo modo rempublicam habuerint, quantamque reliquerint, et ut paulatìm immutata, ex pulcherrimâ, et optimâ, pessima ac flagitiosissima facta sit, disserere.

. . . . . .

In tantâ tamque corruptâ civitate, Catilina, (id quod factu facillimum erat) omnium flagitiosorum atque facinorosorum circum se, tanquàm stipatorum, catervas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, scortis bona patria laceraverat ; quique alienum æs grande conflaverat, quò flagitium aut facinus redimeret ; præterea omnes undique parricidæ, sacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes : ad hoc, quos manus atque lingua perjurio et civili sanguine alebat ; postremò omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat : hi Catilinæ proximi familiaresque erant. Quòd si quis etiam à culpâ vacuus in amicitiam ejus inciderat ; quotidiano usu atque illecebris, facilè par similisque ceteris efficiebatur. Sed maximè adolescentium familiaritates appetebat ; eorum animi molles et ætate fluxi, dolis

haud difficulter capiebantur ; nam uti cujusque studium ex ætate flagrabat, aliis scorta præbere : aliis canes atque equos mercari : postremò nequè sumptui, nequè modestiæ suæ parcere, dùm illos obnoxios fidosque sibi faceret. Scio fuisse nonnullos, qui ita existimarent, juventutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, parùm honestè pudicitiam habuisse. Sed ex aliis rebus magis, quàm quòd cuiquam id compertum foret, hæc fama valebat.

Jam primùm adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestæ, et alia hujusce modi contrà jus fasque. Postremò captus amore Aureliæ Orestillæ, cujus, præter formam, nihil unquàm bonus laudavit : quòd ea nubere illi dubitabat, timens privignum adultum ætate ; pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quæ quidem res mihi in primis videtur caussa fuisse facinoris maturandi. Namque animus impurus, diis hominibusque infestus, nequè vigiliis, nequè quietibus sedari poterat ; ità conscientia mentem excitam vexabat ! Igitur color ei exsanguis, fœdi oculi; citus modò, modò tardus incessus : prorsùs in facie vultuque vecordia inerat.

Sed juventutem, quam, ut suprà diximus, illexerat multis modis, mala facinora edocebat. Ex iliis testes signatoresque falsos commodare ; fidem, fortunas, pericula vilia habere. Post, ubi eorum famam atque pudorem attriverat,

majora alia imperabat. Si caussa peccandi in præsens minùs suppetebat ; nihilominùs insontes, sicuti sontes, circumvenire, jugulare : scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus, gratutitò potiùs malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus Catilina, simul quòd æs alienum per omnes terras ingens erat, et, quòd plerique Sullani milites, largiùs suo usi, rapinarum et victoriæ veteris memores, civile bellum exoptabant ; opprimendæ reipublicæ consilium cepit. In Italiâ nullus exercitus ; Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat ; ipsi consulatum petendi magna spes ; Senatus nihil sanè intentus : tutæ tranquillæque res omnes ; sed ea prorsùs opportuna Catilinæ.

NARRATION LIII.

Conspiracy of Cataline.

(Rom. Hist. Cicero's Orations in Cat. ad Qui.)

The conspiracy is detected, through the vigilance and prudence of Cicero, who had sagacity enough to penetrate the designs of the conspirators and virtue sufficient to expose the whole plot. The principals are taken and executed The recital of these interesting events, as given by Cicero to the people, is here laid before the reader.

Rempublicam, Quirites, vitamque omnium vestrûm, bona, fortunas, conjuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem, hodierno die, deorum immortalium summo ergà vos amore, laboribus, consiliis, periculis meis, ex flammâ atque ferro, ac pænè ex faucibus fati ereptam, et vobis conservatam ac restitutam videtis. Et si non minùs nobis jucundi atque illustres sunt ii dies quibus conservamur, quàm illi quibus nascimur; quòd salutis certa lætitia est, nascendi incerta conditio, et quòd sine sensu nascimur cum voluptate servamur: profectò, quoniàm illum qui hanc urbem condidit, ad deos immortales benevolentiâ famâque sustulimus: esse apud vos posterosque vestros in honore debebit is,

qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque servavit. Nam toti urbi, templis, delubris, tectis ac mœnibus omnibus subjectos propè jam ignes circumdatosque restinximus: idemque gladios in rempublicam districtos retudimus, mucronesque eorum à jugulis vestris dejecimus. Quæ quoniam in senatu illustrata, patefacta, compertaque sunt per me, vobis jam exponam breviter, Quirites : ut et quanta, et quàm manifesta, et quâ ratione investigata et comprehensa sint, vos, qui et ignoratis, et expectatis, scire possitis.

Principiò, ut Catilina paucis antè diebus erupit ex urbe, cùm sceleris sui socios, hujusce nefarii belli acerrimos duces, Romæ reliquisset : semper vigilavi et providi, Quirites, quemadmodùm in tantis et tam absconditis insidiis salvi esse possemus.

Nam tum, cùm ex urbe Catilinam ejiciebam, non enim vereor jam hujus verbi invidiam, cùm illa magis sit timenda, quòd vivus exierit, sed tum, cùm illum exterminari volebam ; aut reliquam conjuratorum manum simul exituram, aut eos qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam. Atque ego ut vidi quos maximo furore et scelere esse inflammatos sciebam, eos nobiscum esse, et Romæ remansisse, in eo omnes dies noctesque consumpsi, ut quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem : ut, quoniam auribus vestris propter incredibilem magni-

tudinem sceleris minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, ut tum demùm animis saluti vestræ provideretis, cùm oculis maleficium ipsum videretis. Itaque ut comperi, legatos Allobrogum[1], belli Transalpini, et tumultûs Gallici excitandi causâ, à P. Lentulo esse sollicitatos, eosque in Galliam ad suos cives, eodemque intinere, cum litteris mandatisque ad Catilinam esse missos, comitemque iis adjunctum Vulturcium, atque huic esse datas ad Catilinam litteras : facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego semper optabam à diis immortalibus, tota res non solùm à me, sed etiam à senâtu et à vobis manifestô deprehenderetur. Itaquè hesterno die L. Flaccum, et C. Pontinum prætores, fortissimos atque amantissimos reipublicæviros, ad me vocavi : rem exposui : quid fieri placeret ostendi. Illi autem, qui omnia de republicâ præclara atque egregia sentirent, sine recusatione, ac sine ullâ morâ negotium susceperunt, et, cùm advesperasceret, occultè ad pontem Mulvium pervenerunt : atquè ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset. Eòdem

---

[1] *Allobrogum*, under the name of the Allobroges is comprised the inhabitants of the country which extends from the Lake of Geneva, alongthe Rhine to its confluence with the Isere.

autem et ipsi sine cujusquam suspicione multos fortes viros eduxerunt, et ego ex præfecturâ Reatinâ complures delectos adolescentes, quorum operâ utor assiduè in republicâ, præsidio cum gladiis miseram. Interim tertiâ ferè vigiliâ exactâ, cùm jam pontem Mulvium magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, unàque Vulturcius, fit in eos impetus : educuntur et ab illis gladii, et à nostris: res erat Prætoribus nota solis : ignorabatur à ceteris.

Tum interventu Pontini atque Flacci pugna quæ erat commisa, sedatur : litteræ, quæcumque erant in eo comitatu, integris signis, Prætoribus traduntur : ipsi comprehensi ad me, cùm jam dilucesceret, deducuntur. Atque horum omnium scelerum improbissimum machinatorem Cimbrum Gabinium statim ad me, nihildùm suspicantem, vocavi. Deindè item arcessitur L. Statilius, et post eum Cethegus : tardissimè autem Lentulus venit, credo quòd litteris dandis præter consuetudinem proximâ nocte vigilârat. Cum summis ac clarissimis hujus civitatis viris, qui, auditâ re, frequentes ad me manè convenerant, litteras `me priùs aperiri, quàm ad senatum referrem, placeret, ne, si nihil esset inventum, temerè à me tantus tumultus injectus civitati videretur, me negavi esse facturum, ut de periculo publico non ad consilium publicum rem integram deferrem. Etenim, Quirites, si ea quæ

erant ad me delata, reperta non essent, tamen ego non arbitrabar in tantis reipublicæ periculis mihi esse nimiam diligentiam pertimescendam. Senatum frequentem celeriter, ut vidistis, coegi. Atquè intereà statim, admonitu Allobrogum, C. Sulpicium Prætorem, fortem virum, misi, qui ex ædibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret : ex quibus ille maximum sicarum numerum et gladiorum extulit.

Introduxi Vulturcium sine Gallis : fidem ei publicam jussu senatûs dedi : hortatus sum, ut ea quæ sciret, sine metu indicaret. Tum ille, cùm vix se ex magno timore recreasset, dixit, à P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et litteras, ut servorum præsidio uteretur, et ad urbem quàm primùm cum exercitu accederet : id autem eo consilio, ut, cùm urbem omnibus ex partibus, quemadmodùm descriptum distributumque erat, incendissent, cædemque infinitam civium fecissent, præstò esset ille, qui et fugientes exciperet, et se cum his urbanis ducibus conjungeret. Introducti autem Galli, jusjurandum sibi et litteras à P. Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt: atque ità sibi et ab his, et à L. Cassio esse præscriptum, ut equitatum in Italiam quàm primùm mitterent, pedestres sibi copias non defuturas : Lentulum autem sibi confirmasse, ex fatis Sibyllinis aruspicumque responsis se esse tertium illum Cornelium, ad

quem regnum hujus urbis atquè imperium, pervenire esset necesse: Cinnam antè se, et Syllam fuisse: eundemque dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum hujus urbis atque imperii, qui esset decimus annus post virginum absolutionem: post Capitolii autem incensionem vicesimus. Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse dixerunt: quòd Lentulo et aliis cædem Saturnalibus fieri, atque urbem incendi placeret; Cethego nimiùm id longum videri.

Ac, ne longum sit, Quirites, tabellas proferri jussimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Primùm ostendimus Cethego signum: cognovit. Nos linum incidimus: legimus. Erat scriptum ipsius manu, Allobrogum senatui et populo sese, quæ eorum legatis confirmasset, esse facturum: orare, ut item illi facerent quæ sibi legati eorum recepissent Tum Cethegus, paulò antè aliquid tamen de gladiis acsicis quæ apud ipsum erant deprehensæ, respondisset, dixissetque se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse, recitatis litteris debilitatus atque abjectus, conscientiâ convictus, repentè conticuit. Introductus Statilius cognovit et signum et manum suam. Recitatæ sunt tabellæ in eandem ferè sententiam: confessus est. Tùm ostendi tabellas Lentulo: et quæsivi cognosceretne signum. Annuit. Est verò, inquam, notum quidem signum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unicè patri-

am, et cives suos, quæ quidem te à tanto scelere etiam muta revocare debuit. Leguntur eâdem ratione ad senatum Allobrogum populumque litteræ. Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille primò quidem negavit : post autem aliquantò, toto jam indicio exposito atque edito, surrexit, quæsivit à Gallis quid ibi esset cum iis, quâmobrem domum suam venissent; itemque à Vulturcio. Qui cùm illi breviter constanterque respondissent, per quem ad eum, quotiesque venissent, quæsivissentque ab eo, nihilne secum esset de fatis Sibyllinis locutus : tum ille subitò scelere demens, quanta vis conscientiæ esset ostendit. Nam, cùm id posset inficiari, repentè præter opinionem omnium confessus est. Ita eum non modò ingenium illud, et dicendi exercitatio, quâ semper valuit, sed etiam propter vim sceleris manifesti atque deprehensi impudentia, quâ superabat omnes, improbitasque defecit. Vulturcius verò subitò proferri litteras atque aperiri jussit, quas sibi à Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atque ibi vehementissimè perturbatus Lentulus, tamen et signum suum, et manum cognovit. Erant autem scriptæ sine nomine, sed ita: Qui sim, ex eo quem ad te misi, cognosces, cura ut vir sis, et cogita quem in locum sis progressus : et vide quid jam tibi sit necesse. Cura ut omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum. Gabinius deindè introductus,

cùm primò impudenter respondere cœpisset, ad extremum nihil ex iis quæ Galli insimulabant, negavit. Ac mihi quidem, Quirites, cùm illa certissima sunt visa argumenta, atque indicia sceleris, tabellæ, signa, manus, deniquè uniuscujusque confessio: t ùm multò illa certiora, oculi, color, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtìm nonnunq uàm inter se adspiciebant, ut non jam ab aliis indicari, sed indicare se ipsi viderentur.

Indiciis expositis atque editis, Quirites, senatum consului de summâ republ. quid fieri placeret. Dictæ sunt à principibus accerimæ ac fortissimæ sententiæ, quas senatus sine ullâ varietate est consecutus. Et quoniàm nondùm est perscriptum S. C. ex memoriâ vobis, Quirites, quid senatus censuerit exponam. Primùm mihi gratiæ verbis amplissimis aguntur, quòd virtute, consilio, providentiâ meâ respublica periculis sit maximis liberata: deindè L. Flaccus, et C. Pontinus, Prætores, quòd eorum operâ forti fidelique usus essem, meritò ac jure laudantur : atquè etiam viro forti, collegæ meo, laus impertitur, quòd eos qui hujus conjurationis participes fuissent, à suis et à reipublicæ consiliis removisset. Atque ità censuerunt ut P. Lentulus, cùm se præturâ abdicasset, tùm in custodiam traderetur : itemque uti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes præsentes erant, in

custodiam traderentur : atque idem hoc decretum est in L. Cassium, qui sibi procurationem incendendæ urbis depoposcerat : in M. Cæparium, cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam, erat indicatum : in P. Furium, qui est ex his coloniis, quas Fesulas L. Sylla deduxit : in Q. Manlium Chilonem, qui unà cum hoc Furio semper erat in hâc Allobrogum sollicitatione versatus : in P. Umbrenum, libertinum hominem, à quo primùm Gallos ad Gabinium perductos esse constabat. Atquè eà lenitate senatus est usus, Quirites, ut ex tantâ conjuratione, tantâque vi ac multitudine domesticorum hostium, novem hominum perditissimorum pœnâ, republicâ conservatâ, reliquorum mentes sanari posse arbitraretur. Atque etiam supplicatio diis immortalibus pro singulari eorum merito meo nomine decreta est, Quirites : quod mihi primùm post hanc urbem conditam togato contigit : et his decreta verbis est, *Quod urbem incendiis, cæde cives, Italiam bello liberassem.* Quæ supplicatio si cum ceteris supplicationibus, conferatur, Quirites, hoc interest quòd ceteræ bene gestâ, hæc una, conservatâ republicâ constituta est. Atquè illud quod faciendum primum fuit, factum atque transactum est. Nam P. Lentulus, quamquàm patefactus indiciis, et confessionibus suis, judicio senatûs, non modò Prætoris jus, verùm etiam civis amiserat ; tamen magistratu se abdica-

vit : ut, quæ religio C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quominùs C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum. Prætorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.

Nunc, quoniàm, Quirites, sceleratissimi periculosissimique belli nefarios duces captos jam et comprehensos tenetis, existimare debetis omnes Catilinæ copias, omnes spes atque opes, his depulsis urbis periculis, concidisse. Quem quidem ego cùm ex urbe pellebam, hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilinâ, nec mihi esse P. Lentuli sumnum, nec L. Cassii adipem, nec Cethegi furiosam temeritatem pertimescendam. Ille erat unus timendus ex his omnibus, sed tamdiù dùm mœnibus urbis continebatur : omnia norat, omnium aditus tenebat : appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat : erat ei consilium ad facinus aptum : consilio autem nequè lingua nequè manus deerat. Jam ad certas res conficiendas certos homines delectos ac descriptos habebat. Nequè verò cùm aliquid mandaverat, confectum putabat. Nihil erat quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret : frigus, sitim, famem ferre poterat. Hunc ego hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in scelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem, nisi ex domesticis insidiis in castrense latrocinium compulissem, dicam id, quod sentio,

Quirites, non facilè hanc tantam molem mali à cervicibus vestris depulissem. Non ille nobis Saturnalia constituisset, nequè tanto antè exitii ac fati diem reipublicæ denuntiasset, neque commisisset ut signum, ut litteræ suæ testes manifesti sceleris deprehenderentur: quæ nunc, illo absente, sic gesta sunt, ut nullum in privatâ domo furtum unquàm sit tam palàm inventum, quàm hæc tanta in republicâ conjuratio manifestò inventa atque deprehensa est. Quòd si Catilina in urbe ad hanc diem remansisset: quanquàm quoàd fuit, omnibus ejus consiliis occurri atque obstiti, tamen, ut levissimè dicam, dimicandum nobis cum illo fuisset, nequè nos unquam, dùm illo in urbe hostis fuisset, tantis periculis rempublicam tantâ pace, tanto otio, tanto silentio, liberassemus.

NARRATION LIV.

The Consequence of Cataline's Conspiracy.

(Rom. Hist. Sallust de Bello Catilin.)

THE principal conspirators having been punished with death, there remained no other resource to Cataline but the trial of his army. Resolved to conquer or die, he advances against Petreius, who commands the army of the republic, and gives a battle, whose character and fury of combat have rendered it memorable.

Cùm suos Catilina adhortatus fuisset, paululùm commoratus, signa canere jubet; atque instructos ordines in locum æquum deducit: dein, remotis, omnium equis, quò militibus, exæquato periculo, animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco, atque copiis instruit. Nam, uti planities erat inter sinistros montes, et ab dexterâ rupes aspera, octo cohortes in fronte constituit; reliqua signa in subsidiis arctiùs collocat. Ab his centuriones omnes lectos et evocatos, prætereà ex gregariis militibus optimè quemque armatum in primam aciem subducit. C. Mallium in dextrâ, Fæsulanum quemdam in sinistrâ parte curare jubet: ipse cum libertis, et calonibus propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico C. Ma-

rius in exercitu habuisse dicebatur. At ex alterâ parte C. Antonius, pedibus æger, quòd prælio adesse nequibat, M. Petreïo legato exercitum permittit. Ille cohortes veteranas, quas tumulti caussâ conscripserat, in fronte, post eas cæterum exercitum in subsidiis locat. Ipse equo circumiens, unumquemque nominans, appellat, hortatur, rogat, uti meminerint se contrà latrones inermes, pro patriâ, pro liberis, aris, atque focis suis cernere. Homo militaris, quòd ampliùs annos triginta tribunus, aut præfectus, aut legatus, aut prætor cum magnâ gloriâ in exercitu fuerat, plerosque ipsos, factaque eorum fortia noverat, ea commemorando, militum animos accendebat. Sed, ubi, omnibus rebus exploratis, Petreïus tubâ signum dat, cohortes paulatìm incedere jubet. Idem facit hostium exercitus.

Postquàm eò ventum est, undè à ferentariis prælium committi posset; maximo clamore, infestis signis concurrunt; pila omittunt; gladiis res geritur. Veterani, pristinæ virtutis memores, cominùs acriter instare illi haud timidi resistunt; maximâ vi certatur. Intereà Catilina cum expeditis in primâ acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis accersere, omnia providere, multùm ipse pugnare, sæpè hostem ferire, strenui militis, et boni Imperatoris officia simul exequebatur. Petreïus, ubi videt Catilinam contrà, ac ratus erat, magnâ vi tendere; cohortem prætoriam

in medios hostes inducit ; eosque perturbatos, atque alios alibi resistentes, interficit : deindè utrimque ex lateribus cæteros aggreditur. Mallius, et Fæsulanus in primis pugnantes cadunt. Postquàm fusas copias, seque cum paucis relictum videt Catilina ; memor generis, atque pristinæ dignitatis suæ, in confertissimos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur. Sed, confecto prælio, tùm verò cerneres, quanta audacia, quantaque animis vis fuisset in exercitu Catilinæ. Nam ferè, quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum, amissâ animâ corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors prætoria disjecerat, paulò diversiùs, sed omnes tamen adversis vulneribus, conciderant. Catilina verò longè à suis inter hostium cadavera repertus est. Paululùm etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinet. Postremò, ex omni copiâ, neque in prælio, neque in fugâ quisquam civis ingenuus captus est. Ità cuncti suæ, hostiumque vitæ juxtà pepercerant. Neque tamen exercitus populi Romani lætam, aut incruentam victoriam adeptus erat. Nam strenuissimus quisque aut occiderat in prælio, aut graviter vulneratus discesserat. Multi autem, qui è castris visendi, aut spoliandi gratiâ processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem, aut cognatum reperiebant. Fuêre item, qui inimicos suos

cognoscerent. Ità variè per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus, atque gaudia agitabantur.

NARRATION LV.

Manners of the Gauls.

(Rom. Hist. César de Bello Gallico.)

Rome becomes too corrupt to be able much longer to retain her liberty. She accustoms her generals to the exercise of absolute power, by bestowing them unlimited authority. Pompey, loaded with the people's favour, cannot submit to have an equal, but views with pain the elevation of Cæsar. Nothing but the brilliant exploits of the latter could have given him the means of counterbalancing and even of one day destroying the credit of the former. Cæsar undertakes the conquest of the Gauls, in which he employs ten years of fatigue and dangers, and at last only succeeds against their valour by dividing them against themselves. The details which he has left us upon their manners, religion, and laws, cannot fail ever to interest at least every Frenchman.

Quoniàm ad hunc locum perventum est, non alienum esse videtur de Galliæ Germaniæque moribus, et quo differant eæ nationes inter se, proponere. In *Gallia* non solùm in

omnibus civitatibus, atque pagis, partibusque, sed penè etiam in singulis domibus, factiones sunt; earumque factionum sunt principes, qui summam auctoritatem eorum judicio habere existimantur: quorum ad arbitrium judiciumque summa omnium rerum consiliorumque redeat. Idque ejus rei causâ antiquitùs institutum videtur, ne quis ex plebe contrà potentiorem auxilii egeret. Suos enim opprimi quisque, et circumveniri non patitur; neque, aliter si faciat, ullam inter suos habeat auctoritatem. Hæc eadem ratio est in summâ totius Galliæ. Namque omnes civitates in duas partes divisæ sunt. Quùm Cæsar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Ædui,[1] alterius Sequani.[2] Ii quùm per se minùs valerent, quòd summa auctoritas antiquitùs erat in Æduis, magnæque eorum erant clientelæ, Germanos, atque Ariovistum, sibi adjunxerant, eosque ad se magnis jacturis, pollicitationibusque perduxerant. Prælìis verò compluribus factis secundis, atque omni nobilitate Æduorum interfectâ, tantùm potentiâ antecesserant, ut magnam partem clientium ab Æduis

---

1 *Ædui.* Under this name is comprised the people of the territories of Autun, Chalons upon the Saone, Macon, Lyons, Nevers, Langres, and Bourbonnais.

2 *Sequani.* People of Celtic Gaul, which comprehends nearly all of Burgundy and Franche-Comté.

ad se transducerent ; obsidesque ab iis principum filios acciperent ; et publicè jurare cogerent, nihil se contrà Sequanos consilii inituros ; et partem finitimi agri per vim occupatam possiderent ; Galliæque totius principatum obtinerent. Quâ necessitate adductus Divitiacus, auxilii petendî causâ Romam ad Senatum profectus, infectâ re redierat. Adventu Cæsaris factâ commutatione rerum : obsidibus Æduis redditis, veteribus clientelis restitutis, novis per Cæsarem comparatis ; quòd ii, qui se ad eorum amicitiam aggregaverant, meliore conditione, atque imperio æquiore se uti videbant, reliquis rebus eorum, gratiâ, dignitateque amplificatâ, Sequani principatum dimiserant. In eorum locum Rhemi[1] successerant ; quos quòd adæquare apud Cæsarem gratiâ intelligebatur, ii, qui propter veteres inimicitias nullo modo cum Æduis conjungi poterant, se Rhemis in clientelam dicabant. Hos illi diligenter tuebantur. Ità et novam, et repentè collectam auctoritatem tenebant. Eo tùm statu res erat, ut longè principes haberentur Ædui, secundum locum dignitatis Rhemi obtinerent. In omni Galliâ eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. Nam plebs penè servorum habetur loco, quæ per se nihil audet, et nulli adhibetur consilio. Plerique, quùm

[1] *Remi*. Inhabitants of Rheims.

aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuriâ potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobilibus; in hos eadem omnia sunt jura, quæ dominis in servos. Sed de his duobus generibus alterum est Druidum, alterum Equitum. Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur: ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causâ concurrit; magnoque ii sunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controversiis, publicis privatisque, constituunt, et si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controversia est, iidem decernunt; præmia pœnasque constituunt: si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ità est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur, iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellat dignitate, succedit. At, si sunt plures pares, suffragio Druidum adlegitur; nonnumquàm etiam de principatu armis contendunt.

Ii certo anni tempore in finibus Carnutum,[1] quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato. Hùc omnes undique qui controversias habent, conveniunt; eorumque judiciis decretisque parent. Disciplina in Britanniâ reperta, atque indè in Galliam translata esse existimatur. Et nunc qui diligentiùs eam rem cognoscere volunt, plerùmque illò discendi causâ proficiscuntur. Druides à bello abesse consueverunt, neque tributa unà cum reliquis pendunt; militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, et suâ sponte multi in disciplinam conveniunt, et à propinquis parentibusque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in disciplinâ permanent; neque fas esse existimant ea litteris mandare, quum in reliquis ferè rebus, publicis privatisque rationibus, (Græcis) literis utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur; quòd neque in vulgus disciplinam efferri velint; neque eos, qui discunt, litteris confisos, minùs memoriæ studere, quòd ferè plerisque accidit, ut præsidio litterarum, diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant. In primis hoc volunt persuadere: Non interire ani

1 *Carnutes.* Cæsar comprehends under this name the inhabitants of Orleans, Blaisois, Vendomois, the country of Chartrain, and of Beauce.

mas, sed ab aliis post mortem transire ad alios ; atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa præterea de sideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum naturâ, de deorum immortalium vi ac potestate disputant, et juventuti transdunt. Alterum genus est Equitum. Ii, quùm est usus, atque aliquod bellum incidit (quod antè Cæsaris adventum ferè quotannis accidere solebat, uti aut ipsi injurias inferrent, aut illatas propulsarent,) omnes in bello versantur; atque eorum, ut quisque est genere copiisque amplissimus, ità plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt. Natio est omnis Gallorum et admodùm dedita religionibus ; atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis periculisque versantur, aut pro victimis hominés immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur ; quòd pro vitâ hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse aliter deorum immortalium numen placari arbitrantur; publicèque ejusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent : quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent; quibus succensis, circumventi flammâ exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio, aut aliquâ noxâ sint comprehensi, gratiora diis

immortalibus esse arbitrantur, sed quùm ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. Deum maximè Mercurium colunt, hujus sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem; hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc, Appollinem, et Martem, et Jovem, et Minervam. De his eadem ferè, quàm reliquæ gentes, habent opinionem; Appollinem, morbos depellere; Minervam, operum atque artificiorum initia transdere; Jovem, imperium cœlestium tenere; Martem, bella regere. Huic, quùm prælio dimicare constituerunt, ea, quæ bello ceperunt, plerumque devovent; quæ superaverint, animalia capta immolant: reliquas res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum exstructos tumulos locis consecratis conspicari licet. Neque sæpè accidit, ut, neglectâ quispiam religione, aut capta apud se occultare, aut posita tollere auderet: gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est. Galli se omnes ab Dite patre prognato, prædicant: idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium, finiunt, et dies natales, et mensium, et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. In reliquis vitæ institutis hoc ferè ab reliquis differunt quòd suos liberos,

nisi quùm adoleverint, ut munus militiæ sustinere possint, palàm ad se adire non patiantur; filiumque in puerili ætate in publico, in conspectu patris assistere, turpe ducunt. Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, ex suis bonis, æstimatione factâ, cum dotibus communicant. Hujus omnis pecuniæ conjunctìm ratio habetur, fructusque servantur. Uter eorum vitâ superârit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisque habent potestatem; et quùm paterfamilias illustriore loco natus decessit, ejus propinqui conveniunt; et de morte, si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quæstionem habent, et si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica, et sumptuosa, omniaque, quæ vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia: ac paulò suprà hanc memoriam, servi, et clientes, quos ab iis dilectos esse constabat, justis funeribus confectis, unà cremabantur. Quæ civitates commodiùs suam Rempublicam administrare existimantur, habent legibus sanctum si quis quid de Rep. à finitimis rumore aut famâ acceperit, uti ad magistratum deferat, nevè cum quo alio communicet: quòd sæpè homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri, et ad facinus impelli, et de summis rebus consilium

capere cognitum est. Magistratus, quæ visa sunt, occultant; quæque esse ex usu judicaverint, multitudini produnt. De Republ. nisi per concilium loqui non conceditur.

Germani multùm ab hâc consuetudine differunt. Nam neque Druides habent, qui rebus divinis præsint; neque sacrificiis student. Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, et quorum opibus apertè juvantur, Solem, et Vulcanum, et Lunam: reliquos ne famâ quidem acceperunt. Vita omnis in venationibus, atque in studiis rei militaris consistit; ab parvulis labori ac duritiæ student. Qui diutissimè impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali vires, nervosque confirmari putant: intrà annum verò xx feminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus. Cujus rei nulla est occultatio; quòd et promiscuè in fluminibus perluuntur, et pellibus, aut parvis renorum tegumentis utuntur, magnâ corporis parte nudâ. Agriculturæ non student; majorque pars victûs eorum lacte, et caseo, et carne consistit: neque quisquam agri modum certum, aut fines proprios habet; sed magistratus, ac principes in annos singulos gentibus, cognationibusque hominum, qui unâ, coierunt, quantùm eis, et quo loco visum est, attribuunt agri, atque anno post aliò transire cogunt. Ejus rei multas afferunt causas; ne assiduâ consuetudine capti studium belli ge-

rendi agriculturâ commutent; ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant; ne accuratiùs, ad frigora atque æstus vitandos, ædificent; ne qua oriatur pecuniæ cupiditas; quâ ex re factiones, dissentionesque nascuntur: ut animi æquitate plebem contineant, quùm suas quisque opes potentissimis æquari videat. Civitatibus maxima laus est, quàm latissimas circùm se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam propè se audere consistere. Simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incursionis timore sublato. Quùm bellum civitas aut illatum defendit, aut infert; magistratus, qui ei bello præsint, ut vitæ necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace, nullus communis est magistratus; sed principes regionem atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam quæ extrà fines cujusque civitatis fiunt. Atque ea juventutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causâ fieri prædicant. Atque, ubi quis ex principibus in concilio se dixit ducem fore, ut qui sequi velint, profiteantur; consurgunt ii, qui et causam, et hominem probant, suumque auxilium pollicentur; atque ab multitudine collaudantur: qui ex iis secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur: omniumque rerum iis

posteà fides abrogatur. Hospites violare, fas non putant: qui, quâque de causâ, ad eos venerunt, ab injuriâ prohibent, sanctosque habent; iis omnium domus patent, victusque communicatur. Ac fuit anteà tempus, quùm Germanos Galli virtute superarent, et ultrò bella inferrent, ac, propter hominum multitudinem, agrique inopiam, trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea, quæ fertilissima sunt Germaniæ loca, circùm Hercyniam silvam, quam Eratostheni et quibusdam Græcis famâ notam esse video, quam illi Orciniam appellant, Volcæ[1] Tectosages occupârunt atque ibi consederunt. Quæ gens ad hoc tempus iis sedibus se continet, summamque habet justitiæ et bellicæ laudis opinionem. Nuncque in eâdam inopiâ, egestate, patientiâ, quâ Germani, permanent, eodem victu et cultu corporis utuntur. Gallis autem propinquitas, et transmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atque usus largitur; paulatim assuefacti superari, multisque victi præliis, ne se quidem ipsi cum illis virtute comparant. Hujus Hercyniæ[2] silvæ, quæ suprà demonstrata est, latitudo IX dierum iter expedito patet. Non enim aliter finiri potest neque men-

---

[1] *Volcæ Tectosages.* People settled in Upper Languedoc.

[2] *Hercyniæ.* The Black Forest in Germany, in Suabia.

suras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum,[1] et Nemetum,[2] et Rauracorum[3] finibus, rectâque fluminis Danubii[4] regione pertinet ad fines Dacorum,[5] et Anartium. Hinc se flectit sinistrorsùs, diversis à flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. Nequè quisquam et hujus Germaniæ, qui se adisse ad initium ejus silvæ dicat, quùm dierum iter LX processerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit. Multa in eâ genera ferarum nasci constat, quæ reliquis in locis visa non sint: ex quibus quæ maximè differant ab ceteris, et memoriæ prodenda videantur, hæc sunt. Est bos cervi figurâ: cujus à mediâ fronte inter aures unum cornu existit excelsius, magisque directum his quæ nota sunt, cornibus. Ab ejus summo sicut palmæ, rami quàm latè diffunduntur. Eadem est feminæ marisque natura, eadem forma

---

1 *Helvetiorum.* The Swiss.

2 *Nemetum.* Inhabitants of the country of Spire.

3 *Rauracorum.* Occupied Basle and Southern Alsace.

4 *Danubi.* The Danube, the largest river of Europe—It rises in the Black Forest, near Zunberg; passes through Suabia, Bavaria, Austria, Hungaria, Servia, Bulgaria, and Moldavia, and empties into the Black Sea.

5 *Dacorum.* The country of Daces, answering now to the name of Walachia and Moldavia, a province of Turkey in Europe.

magnitudoqe cornuum. Sunt item, quæ appellantur Alces. Harum est consimilis capris figura, et varietas pellium, sed magnitudine paulò antecedunt: mutilæque sunt cornibus, et crura sinè nodis articulisque habent; neque quietis causâ procumbunt; nequè, si quo afflictæ casu considerunt, erigere sese; aut sublevare, possunt. His sunt arbores pro cubilibus. Ad eas se applicant, atquè ità paulum modò reclinatæ quietem capiunt: quarum ex vestigiis quùm est animadversum à venatoribus, quo se recipere consueverint, omnes eo loco, aut à radicibus subruunt, aut accidunt arbores tantùm, ut summa species earum stantium relinquatur. Hùc quùm se ex consuetudine reclinaverint, infirmas arbores pondere affligunt, atque unà ipsæ concidunt. Tertium est genus eorum, qui Uri appellantur. Ii sunt magnitudine paulò infrà elephantos; specie, et colore, et figurâ tauri. Magna vis est eorum, et magna velocitas. Neque homini, nequè feræ, quàm conspexerint, parcunt. Hos studiosè foveis captos interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atque hoc genere venationis exercent; et qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines et mansuefieri ne parvuli quidem excepti possunt. Amplitudo cornuum, et figura, et species multùm à nostrorum boum cornibus differt. Hæc

studiosè conquisita ab labris argento circumcludunt, atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.

NARRATION LVI.

Vercingetorix.

(Rom. Hist. Cæsar de Bello Gallico.)

The most honourable of Cæsar's campaigns in Gaul was the seventh, because it was in this that his greatest victory was gained. The valiant Vercingetorix obliged Cæsar to exert his utmost genius. Compelled to shut himself in the city of Alise, this brave Gaul defended himself to the last extremity. It was this, no doubt, which caused Cæsar to attach so much consequence to its conquest, as to have left us a description so particular and detailed as is the siege and capture of this place.

Fugato omni equitatu, Vercingetorix copias suas, ut pro castris collocaverat, reduxit; protinùsque Alesiam,[1] quod est oppidum Mandubiorum,[2] iter facere cœpit: celeriter-

[1] *Alesiam.* A little city near Semur, in Auxors, a canton of Bourgogne.

[2] *Mandubiorum.* The inhabitants of Auxois.

que impedimenta ex castris educi, et se subsequi jussit. Cæsar, impedimentis in proximum collem deductis, sequutus, quantum diei tempus est passum, circiter III millibus hostium ex novissimo agmine interfectis, altero die ad Alesiam castra fecit. Perspecto urbis situ, perterritisque hostibus, quòd equitatu, quâ maximè parte exercitûs confidebant, erant pulsi ; adhortatus ad laborem milites Alesiam circumvallare instituit. Ipsum erat oppidum in colle summo admodùm edito loco, ut nisi obsidione expugnari non posse videretur. Cujus collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant. Antè oppidum planities circiter millia passuum III in longitudinem patebat. Reliquis ex omnibus partibus colles, mediocri interjecto spatio, pari altitudinis fastigio oppidum cingebant. Sub muro, quæ pars collis ad orientem spectabat, hunc omnem locum copiæ Gallorum compleverant ; fossamque, et materiam sex in altitudinem pedum præduxerant. Ejus munitionis quæ ab Romanis instituebatur, circuitus XI OO passuum tenebat. Castra opportunis locis erant posita ; ibique castella XXIII facta, in quibus interdiù stationes disponebantur, ne qua subitò irruptio fieret. Hæc eadem noctu excubitoribus, ac firmis præsidiis tenebantur. Opere instituto, fit equestre prælium in eâdem planitie, quam intermissam collibus III millium passuum in longitudinem patere su-

prà demonstravimus ; summâ vi ab utrisque contenditur. Laborantibus nostris Cæsar Germanos submittit, legionesque pro castris constituit, ne qua subitò irruptio ab hostium peditatu fiat. Præsidio legionum addito, nostris animus augetur ; hostes in fugam conjecti se ipsi multitudine impediunt ; atque angustioribus portis (relictis) coarctantur. Germani acriùs usquè ad munitiones sequuntur. Fit magna cædes. Nonnulli, relictis equis, fossam transire, et maceriam transcendere conantur. Paulùm legiones Cesar, quas pro vallo constituerat, promoveri jubet. Non minùs, qui intra munitiones erant, Galli perturbantur. Veniri ad se confestìm existimantes, ad arma conclamant. Nonnulli perterriti in oppidum irrumpunt. Vercingetorix jubet portas claudi, ne castra nudentur. Multis interfectis compluribus equis captis, Germani sese recipiunt. Vercingetorix, priusquàm munitiones ab Romanis perficiantur, consilium capit, omnem à se equitatem noctu dimittere. Discedentibus mandat, ut suam quisque eorum civitatem adeat, omnesque, qui per ætatem arma ferre possint, ad bellum cogant. Sua in illos merita proponit ; obtestaturque, ut suæ salutis rationem habeant, neu se de communi libertate optimè meritum in cruciatum hostibus dedant ; qui si indiligentiores fuerint, millia hominum LXXX delecta secum interitura demonstrat : ratione initâ, frumentùm sè exiguè

dierum xxx habere, sed paulò etiam longiùs tolerare posse parcendo. His datis mandatis, quâ erat nostrum opus intermissum, secundâ vigiliâ silentio equitatum dimittit; frumentum omne ad se ferri jubet: capitis pœnam iis, qui non paruerint, constituit: pecus, cujus magna erat ab Mandubiis compulsa copia, viritim distribuit; frumentum parcè, et paulatim metiri instituit: copias omnes, quas pro oppido collocaverat, in oppidum recipit. His rationibus auxilia Galliæ expectare, et bellum administrare parat. Quibus rebus cognitis ex perfugis et captis, Cæsar hæc genera munitionis instituit. Fossam pedum xx directis lateribus duxit; ut ejus solium tantùmdem pateret, quantùm summa labra distabant. Reliquas omnes munitiones ab eâ fossâ pedibus CD reduxit: id hoc consilio, quoniàm tantum esset necessariò spatium complexus, nec facilè totum opus militum coronâ cingeretur; ne de improviso, aut noctu, ad munitiones hostium multitudo advolaret, aut interdiù tela in nostros operi destinatos conjicere possent. Hoc intermisso spatio, duas fossas, XV pedes latas, eâdem altitudine, perduxit: quarum interiorem campestribus, ac demissis locis, aquâ ex flumine derivatâ, complevit. Post eas aggerem, et vallum XII pedum exstruxit. Huic loricam pinnasque adjecit, grandibus cervis eminentibus ad commissuras pluteorum, atque aggeris, qui adscensum hostium tarda-

rent: et turres toto opere circumdedit, quæ pedes LXXX inter se distarent. Erat uno tempore et materiari, et frumentari et tantas munitiones fieri necesse, deminutis nostris copiis, quæ longiùs ab castris progrediebantur: et nonnunquàm opera nostra Galli tentare, atque eruptionem ex oppido pluribus portis facere summâ vi conabantur. Quare ad hæc rursùs opera addendum Cæsar putavit, quò minore numero militum munitiones defendi possent. Itaque truncis arborum, aut admodùm firmis ramis abscissis, atque horum dolabratis, atque præacutis cacuminibus, perpetuæ fossæ quinos pedes altæ, ducebantur. Hùc illi stipites demissi, et ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis eminebant. Quini erant ordines conjuncti inter se, atque implicati; quò qui intraverant, se ipsi acutissimis vallis induebant. Hos cippos appellabant: antè hos, obliquis ordinibus in quincuncem dispositis, scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paulatìm angustiore ad summum fastigio. Hùc teretes stipites feminis crassitudine, ab summo præacuti et præusti, dimittebantur; ità ut non ampliùs IV digitis ex terrâ eminerent. Simul confirmandi et stabiliendi causâ singuli ab infimo solo pedes terrâ exculcabantur; reliqua pars scrobis ad occultandas insidias viminibus ac virgultis integebantur. Hujus generis octoni ordines ducti, ternos inter se pedes distabant. Id ex similitudine flo-

ris lilium appellabant. Antè hæc taleæ pedem longæ ferreis hamis infixis, totæ in terram infodiebantur; mediocribusque intermissis spatiis, omnibus locis disserebantur, quos stimulos nominabant. His rebus perfectis, regiones secutus, quàm potuit, æquissimas pro loci naturâ, XIV millia passuum complexus pares ejusdem generis munitiones diversas ab his contrà exteriorem hostem perfecit, ut ne magnâ quidem multitudine, si ità accidat, ejus discessu, munitionum præsidia circumfundi possent. Neu cum periculo ex castris egredi cogerentur; dierum XXX pabulum frumentumque habere omnes convectum jubet.

Dùm hæc ad Alesiam geruntur, Galli, concilio principum indicto, non omnes, qui arma ferre possent, ut censuit Vercingetorix, convocandos statuunt: sed certum numerum cuique civitati imperandum; ne tantâ multitudine confusâ nec moderari, nec discernere suos; nec frumentandi rationem habere possent. Imperant Æduis,[1] atque eorum clientibus, Segusianis,[2] Ambivaretis,[3] Aulercis Brannovicibus,[4] Brannoviis millia XXXV; parem numerum Arvernis,[5] adjunctis Eleutheris

1 *Æduis.* The Autunoise.
2 *Segusianis,* Of the Canton of Susa.
3 *Ambivaretis.* Inhabitants of Nivernois.
4 *Brannovicibus.* Those of Braincon.
5 *Arvernis.* The Auvergnats.

Cadurcis,[1] Gabalis, Velaunis, qui sub imperio Arvernorum esse consueverunt; Senonibus,[2] Sequanis,[3] Biturigibus,[4] Santonibus,[5] Ruthenis,[6] Carnutibus[7] XII millia, Bellovacis X,[8] totidem Lemovicibus;[9] octona Pictonibus,[10] et Turonis,[11] et Parisiis,[12] et Elutheris Suessionibus;[13] Ambianis,[14] Mediomatricis,[15] Petrocoriis,[16] Nerviis,[17] Morinis,[18] Nitiobrigibus[19] quina millia; Aulercis Cenomanis[20] totidem; Atrebatibus[21] IV millia; Bellocas-

---

1 *Cadurcis.* Gabalis, Velaunis. The inhabitants of Querci, of Gevaudan and of Velai.
2 *Senonibus.* Those of Sens.
3 *Sequanis.* The Francomtois.
4 *Biturigibus* Inhabitants of Berri.
5 *Santonibus.* Of Saintonge.
6 *Ruthenis.* Of Rouergne.
7 *Carnutibus.* Of the country of Chartrain.
8 *Bellovacis.* Inhabitants of Beauvoisis.
9 *Lemovicibus.* The Limousins.
10 *Pictonibus.* The Poitevins.
11 *Turonis.* Inhabitants of Touraine.
12 *Parisiis.* Parisians.
13 *Suessionibus.* Of Soissonnois.
14 *Ambianis.* Of Amienois.
15 *Mediomatricis.* Of Lorraine.
16 *Petrocoriis.* Of Perigoid.
17 *Nerviis.* Of Hainault.
18 *Morinis.* The Boulonais.
19 *Nitiobrigibus.* The Agenois.
20 *Cenomanis.* The Manceaux.
21 *Atrebatibus.* The Artesiens.

sis,[1] Lexoviis,[2] Aulercis Eburonibus[3] terna; Rauracis,[4] et Boiis xxx, universis civitatibus, quæ Oceanum attingunt, quæque eorum consuetudine Armoricæ appellantur, quo sunt in numero Curiosolites,[5] Rhedones,[6] Ambibati;[7] Cadetes,[8] Osismii,[9] (Lemovices) Veneti[10] Unelli,[11] sena. Ex his Bellovaci suum numerum contulerunt: quòd se suo nomine, atque arbitrio cum Romanis bellum gesturos dicerent, neque cujusquam imperio obtemperaturos. Rogati tamen à Comio, pro ejus hospitio 11 millia miserunt. Hujus operâ Comii, ità ut anteà demonstravimus, fideli atque utili superioribus annis erat usus in Britanniâ Cæsar: pro quibus meritis civitatem ejus immunem esse jusserat; jura legesque reddiderat: atque ipsi Morinos attribuerat. Tanta tamen universæ Galliæ consensio fuit libertatis vindican-

---

1 *Bellocassis.* Inhabitants of Rouen.
2 Those of Lisieux.
3 Those of Evreux.
4 *Rauracis et Boiis.* Those of Belaor Bourbonnais.
5 *Curiosolites* Those of Cornouailles.
6 *Rhedones.* Those of Rennes.
7 *Ambibati.* Of Avranches.
8 *Cadetes.* Of Bayeux.
9 *Osismii.* Saint Paul of Leon and of Saint-Brieux.
10 *Veneti.* Of Vannes.
11 *Unelli.* Of Cotentin.

dæ, et pristinæ belli laudis recuperandæ, ut neque beneficiis neque amicitiæ memoriâ moverentur ; omnesque et animo, et opibus in id bellum incumberent : coactis equitum VIII millibus, et peditum circiter CCXL. Hæc in Æduorum finibus recensebantur ; numerusque inibatur : præfecti constituebantur : Comio Atrebati, Viridomaro, et Eporedorigi Æduis, Vergasillauno Arverno consobrino Vercingetorigis summa imperii transditurlis delecti ex civitatibus attribuuntur, quorum consilio bellum administraretur. Omnes alacres, et fiduciæ pleni ad Alesiam proficiscuntur. Nec erat omnium quisquam, qui adspectum modò tantæ multitudinis sustineri posse arbitraretur, præsertim ancipiti prælio : quùm ex oppido eruptione pugnaretur, et foris tantæ copiæ equitatûs peditatûsque cernerentur. At ii, qui Alesiæ obsidebantur, præteritâ die quâ suorum auxilia exspectaverant, consumpto omni frumento, inscii, quid in Æduis gereretur, concilio coacto, de exitu fortunarum suarum consultabant ; ac variis dictis sententiis, quarum pars deditionem, pars, dùm vires suppeterent, eruptionem censebant, non prætereunda videtur oratio Critognati, propter ejus singularem ac nefariam crudelitatem. Hic summo Arvernis natus loco, et magnæ habitus auctoritatis. Nihil, inquit, de eorum sententiâ dicturus sum, qui turpissimam servitutem deditionis nomine appellant ; neque hos habendos civium lo-

co, neque ad consilium adhibendos censeo. Cum iis mihi res sit, qui eruptionem probant; quorum in consilio omnium vestrûm consensu pristinæ residere virtutis memoria videtur. Animi est ista mollities, non virtus, inopiam paulisper ferre non posse. Qui se ultrò morti offerant faciliùs reperiuntur, quàm qui dolorem patienter ferant. Atque ego hanc sententiam probarem, nam apud me multùm dignitas potest, si nullam, præterquàm vitæ nostræ, jacturam fieri viderem. Sed in concilio capiendo omnem Galliam respiciamus, quam ad nostrum auxilium concitavimus. Quid hominum millibus LXXX uno loco interfectis, propinquis consanguineisque nostris, animi fore existimatis, si penè in ipsis cadaveribus prælio decertare cogentur? nolite hos nostro auxilio spoliare, qui vestræ salutis causâ suum periculum neglexerint, nec stultitiâ ac temeritate vestrâ, aut imbecillitate animi omnem Galliam prosternere ac perpetuæ servituti addicere. An, quòd ad diem non venerint, de eorum fide constantiâque dubitatis? quid ergo? Romanos in ulterioribus munitionibus, animi ne causâ quotidie exerceri putatis? Si illorum nunciis confirmari non potestis, omni aditu præsepto, iis utimini testibus, appropinquare eorum adventum, cujus rei timore exterriti, diem noctemque in opere versantur. Quid ergo mei consilii est? facere, quod nostri majores nequaquàm pari bello Cimbrorum Teutonumque fecerunt;

qui in oppida compulsi, ac simili inopiâ subacti, eorum corporibus, qui ætate inutiles ad bellum videbantur, vitam toleraverunt, neque se hostibus transdiderunt. Cujus rei exemplum si non haberemus, tamen libertatis causâ instituti et posteris prodi pulcherrimum judicarem. Nam quid huic simile bello fuit? depopulatâ Galliâ, magnâque illatâ calamitate, Cimbri finibus nostris aliquandò excesserunt, atque alias terras petierunt: jura, leges, agros, libertatem nobis relinquerunt. Romani verò quid petunt aliud, aut quid volunt, nisi invidiâ adducti, quos famâ nobiles, potentesque bello cognoverunt, horum in agris civitatibusque considere, atque his æternam injungere servitutem? neque enim unquàm aliâ conditione bella gesserunt. Quòd si ea, quæ longinquis nationibus geruntur, ignoratis, respicite finitimam Galliam, quæ in Provinciam redacta, jure, et legibus commutatis, securibus subjecta, perpetuâ premitur servitute. Sententiis dictis, constituunt, ut, qui valetudine, aut inutiles sunt bello, oppido excedant: atque omnia priùs experiantur, quàm ad Critognati sententiam descendant: illo tamen potiùs utendum consilio, si res cogat atque auxilia morentur, quàm deditionis aut pacis subeundam conditionem. Mandubii, qui eos oppido receperant, cum liberis atque uxoribus exire coguntur. Ii, quùm ad munitiones Romanorum accessissent, fientes omnibus precibus orabant,

ut se in servitutem receptos cibo juvarent. Hos Cæsar, dispositis in vallo custodiis, recipi prohibebat.

Intereà Comius, et reliqui duces, quibus summa imperii permissa erat, cùm omnibus copiis ad Alesiam perveniunt, et colle exteriore occupato, non longiùs D passibus à nostris munitionibus considunt. Postero die equitatu ex castris educto, omnem eam planitiem quam in longitudinem III millia passuum patere demonstravimus, complent; pedestresque copias, paulùm ab eo loco, abditas in locis superioribus constituunt. Erat ex oppido Alesia despectus in campum. Concurritur, his auxiliis visis, fit gratulatio inter eos, atque omnium animi ad lætitiam excitantur. Itaque, productis copiis, antè oppidum considunt; et proximam fossam cratibus integunt, atque agere explent; seque ad eruptionem, atque omnes casus comparant. Cæsar, omni exercitu ad utramque partem munitionum disposito, ut si usus veniat, suum quisque locum teneat, et noverit; equitatum ex castris educi, et prælium committi jubet. Erat ex omnibus castris, quæ summum undiquè jugum tenebant, despectus; atque omnium militum intenti animi pugnæ eventum exspectabant, Galli inter equites, raros sagittarios, expeditosque levis armaturæ interjecerant, qui suis cedentibus auxilio succurrerent, et nostrorum equitum impetum sustinerent. Ab iis com-

plures de improviso vulnerati, prælio excedebant : quùm suos pugnâ superiores esse Galli confiderent ; et nostros premi multitudine viderent ; ex omnibus partibus, et ii, qui munitionibus continebantur, et ii, qui ad auxilium convenerant, clamore et ululatu suorum animos confirmabant. Quòd in conspectu omnium res gerebatur, neque rectè, aut turpiter factum celari poterat ; utrosque et laudis cupiditas, et timor ignominiæ ad virtutem excitabat. Quùm à meridie propè ad solis occasum dubiâ victoriâ pugnaretur, Germani unâ in parte confertis turmis in hostes impetum fecerunt, eosque propulerunt. Quibus in fugam conjectis, sagittarii circumventi, interfectique sunt. Item ex reliquis partibus nostri, cedentes usque ad castra insecuti, sui colligendi facultatem non dederunt. At ii, qui ab Alesiâ processerant, mœsti, propè victoriâ desperatâ, se in oppidum receperunt. Uno die intermisso, Galli, atque hoc spatio, magno cratium, scalarum, harpagonum numero effecto, mediâ nocte silentio ex castris egressi, ad campestres munitiones accedunt. Subitò clamore sublato, quâ significatione, qui in oppido obsidebantur, de suo adventu cognoscere possent, crates projicere, fundis, sagittis, lapidibus nostros de vallo deturbare, reliquaque quo ad oppugnationem pertinent, administrare. Eodem tempore, clamore exaudito, dat tubâ signum suis Vercingetorix, atque ex op-

pido educit. Nostri, ut superioribus diebus suus cuique erat locus attributus, ad munitiones accedunt; fundis librilibus sudibusque quas in opere disposuerant, ac glandibus Gallos perterrent. Prospectu tenebris adempto, multa utrimque vulnera accipiuntur, complura tormentis tela conjiciuntur. At M. Antonius, et C. Trebonius, legati, quibus eæ partes ad defendendum obvenerant, quâ ex parte premi intellexerant, iis auxilio ex ulterioribus castellis deductos submittebant. Dùm longiùs ab munitione aberant Galli, plus multitudine telorum proficiebant: posteà quàm propiùs successerunt, aut seipsi stimulis inopinantes induebant; aut in scrobes delapsi transfodiebantur; aut ex vallo, et turribus transjecti pilis muralibus interibant. Multis undiquè vulneribus acceptis, nullâ munitione perruptâ, quùm, lux appeteret; viriti, ne ab latere aperto ex superioribus castris eruptione circumvenirentur, se ad suos receperunt. At interiores, dùm ea, quæ à Vercingetorige ad eruptionem præparata erant, proferunt, priores fossas explent. Diutiùs in iis rebus administrandis morati, priùs suos dicessisse cognoverunt, quàm munitionibus appropinquarent. Ità re infectâ in oppidum reverterunt.

Bis magno cum detrimento repulsi Galli quid agant, consulunt. Locorum peritos adhibent. Ab his superiorum castrorum situs, munitionesque cognoscunt. Erat à Septentri-

onibus collis, quem quià, propter magnitudinem circuitûs opere circumplecti non potuerant, nostri necessariò penè iniquo loco ; et leniter declivi, castra fecerunt. Hæc C. Antistius Reginus et C. Caninius Rebilus, legati cum II legionibus obtinebant. Cognitis per exploratores regionibus, duces hostium V millia ex omni numero deligunt earum civitatum, quæ maximam virtutis opinionem habebant : quid, quoque pacto, agi placent, occultè inter se constituunt. Adeundi tempus definiunt, quùm meridies esse videatur. Iis copiis Vergasillaunum Arvernum, unum ex IV ducibus, propinquum Vercingetorigis, præficiunt. Ille ex castris primâ vigiliâ egressus, propè confecto sub lucem itinere, post montem se occultavit, militesque ex nocturno labore sese reficere jussit : quùm jam meridies appropinquare videretur, ad ea castra, quæ suprà demonstravimus, contendit, eodemque tempore equitatus ad campestres munitiones accedere, et reliquæ copiæ sese pro castris ostendere cœperunt. Vercingetorix ex arce Alesiæ suos conspicatus, ex oppido egreditur, è castris longurios, musculos, falces, reliquaque, quæ eruptionis causâ paraverat, profert. Pugnatur uno tempore omnibus locis, atque omnia tentantur. Quæ minimè visa pars firma esse, hùc concurritur. Romanorum manus tantis munitionibus distinetur, nec facilé pluribus locis occurrit. Multùm ad terrendos

nostros valuit clamor, qui post tergum pugnantibus exstitit, quòd suum periculum in alienâ vident virtute consistere. Omnia enim plerumque quæ absunt, vehementiùs hominum mentes perturbant. Cæsar idoneum locum nactus, quid quâque in parte geratur, cognoscit, laborantibus submittit. Utrisque ad animum occurrit, unum illud esse tempus, quo maximè contendi conveniat. Galli nisi perfregerint munitiones, de omni salute desperant. Romani, si rem obtinuerint, finem laborum omnium expectant. Maximè ad superiores munitiones laboratur, quò Vergasillaunum missum demonstravimus. Exiguum loci ad declivitatem fastigium, magnum habet momentum. Alii tela conjiciunt, alii testudine factâ subeunt, defatigatis invicem integri succedunt. Agger ab universis in munitionem conjectus, et adscensum dat Gallis, et quæ in terram occultaverunt Romani, contegit. Nec jam arma nostris, nec vires suppetunt. His rebus cognitis, Cæsar Labienum cum cohortibus v subsidio laborantibus mittit. Imperat, si sustinere non possit, deductis cohortibus eruptione pugnaret. Id nisi necessariò, non faciat. Ipse adit reliquos: cohortatur, ne labori succumbant: omnium superiorum dimicationum fructum in eo die, atque horâ docet consistere. Interiores, desperatis campestribus locis, propter magnitudinem munitionum, loca prærupta ex adscensu tentant. Hùc ea, quæ para-

verant, conferunt: multitudine telorum ex turribus propugnantes deturbant: aggere, et cratibus, aditus expediunt: falcibus vallum ac loricam rescindunt. Cæsar mittit primò Brutum adolescentem cum cohortibus VI; post cum aliis VII Fabium legatum. Postremò ipse, quùm vehementiùs pugnaretur, integros subsidio adducit. Restituto prælio, ac repulsis hostibus, eò, quò Labienum miserat, contendit. Cohortes IV ex proximo castello educit. Equitum se partem sequi, partem circumire exteriores munitiones, et ab tergo hostes adoriri jubet. Labienus, postquàm neque aggeres, neque fossæ vim hostium sustinere poterant, coactis unà de quadraginta cohortibus, quas ex proximis præsidiis deductas sors obtulit, Cæsarem per nuncios facit certiorem, quid faciendum existimet. Accelerat Cæsar, ut prælio intersit. Ejus adventu ex colore vestitûs cognito, quo insigni in prœliis uti consueverat, turmisque equitum et cohortibus visis, quæ se sequi jusserat, ut de locis superioribus hæc declivia et devexa cernebantur, hostes committunt prælium. Utrimque clamore sublato, excipit rursùs ex vallo atque omnibus munitionibus clamor. Nostri, emissis pilis, gladiis rem gerunt. Repentè post tergum equitatus cernitur. Cohortes aliæ appropinquant. Hostes terga vertunt. Fugientibus equites occurrunt. Fit magna cædes. Sedulius dux et princeps Lemovicum occiditur: Ver-

gasillaunus Arvernus vivus in fugâ comprehenditur. Signa militaria LXXIV ad Cæsarem referuntur. Pauci ex tanto numero, se incolumes in castra recipiunt. Conspicati ex oppido cædem et fugam suorum, desperatâ salute, copias à munitionibus reducunt. Fit protinùs, hâc re auditâ, ex castris Gallorum fuga. Quòd nisi crebris subsidiis, ac totius diei labore milites fuissent defessi, omnes hostium copiæ deleri potuissent. De mediâ nocte missus equitatus novissimum agmen consequitur. Magnus numerus capitur atque interficitur: reliqui ex fugâ in civitates discedunt. Postero die Vercingetorix, consilio convocato, id se bellum suscepisse non suarum necessitatum, sed communis libertatis causâ demonstrat; et quoniam sit fortunæ cedendum, ad utramque rem se illis offerre, seu morte suâ Romanis satisfacere, seu vivum transdere velint. Mittuntur de his rebus ad Cæsarem legati. Jubet arma transdi, principes produci. Ipsè in munitione pro castris consedit. Eò duces producuntur. Vercingetorix deditur. Arma projiciuntur. Reservatis Æduis, atque Arvernis, si per eos civitates recuperare posset, ex reliquis captivis toto exercitu capita singula, prædæ nomine, distribuit. His rebus confectis, in Æduos proficiscitur; civitatem recipit. Eò legati ab Arvernis missi, quæ imperaret, se facturos pollicentur. Imperat magnum numerum obsidum. Legiones in hiberna mittit. Captivo-

rum circiter xx millia Æduis Arvernisque reddit. T. Labienum cum II legionibus et equitatu in Sequanos proficisci jubet. Huic M. Sempronium Rutilum attribuit. C. Fabium, et L. Minutium Basilum cum II legionibus in Rhemis collocat, ne quam à finitimis Bellovacis calamitatem accipiant. C. Antistium Reginum in Ambivaretos, T. Sextium in Bituriges, C. Canium Rebilum in Ruthenos cum singulis legionibus mittit: Q. Tullium Ciceronem et Sulpicium Cabiloni et Matiscone in Æduis ad Ararim, rei frumentariæ causâ, collocat. Ipse Bibracte hiemare constituit. His rebus Cæsaris litteris cognitis Romæ, dierum xx supplicatio indicitur.

NARRATION LVII.

Cæsar invades Great Britain, A. C. 55.

(Rom. Hist. Cæsar de Bello Gallico.)

The defeat of Vercingetorix decides the fate of Gaul. It is made a Roman province. In the course of this conquest Cæsar conceives the plan of invading England. This isle, separated from the rest of the world, had been before this time almost unknown.

Exiguâ parte æstatis reliquâ, Cæsar, etsi in iis locis, quòd omnis Gallia ad Septentrionem vergit, maturæ sunt hiemes, tamen in Britanniam proficisci contendit, quòd omnibus ferè Gallicis bellis, hostibus nostris indè subministrata auxilia intelligebat: et, si tempus anni ad bellum gerendum deficeret; tamen magno sibi usui fore arbitrabatur, si modò insulam adisset, genus hominum perspexisset; loca, portus, aditus cognovisset: quæ omnia ferè Gallis erant incognita. Neque enim temerè præter mercatores illò adit quisquam; neque iis ipsis quidquam, præter oram maritimam, atque eas regiones, quæ sunt contrà Galliam, notum est. Itaque, convocatis ad se undique mercatoribus, neque quanta esset insulæ magnitudo, neque quæ, aut quantæ nationes inco-

lerent, neque quem usum belli haberent, aut quibus institutis uterentur, neque qui essent ad majorum navium multitudinem idonei portus, reperire poterat. Ad hæc cognoscenda, priusquàm periculum faceret, idoneum esse arbitratus, C. Volusenum cum navi longâ præmittit. Huic mandat, ut, exploratis omnibus rebus, ad se quàm primùm revertatur. Ipse, cum omnibus copiis, in Morinos[1] proficiscitur ; quòd inde erat brevissimus in Britanniam transjectus. Hùc naves undiquè ex finitimis regionibus, et quam superiore æstate ad Veneticum[2] bellum fecerat classem, jubet convenire. Interim, consilio ejus cognito, et per mercatores perlato ad Britannos, à compluribus ejus insulæ civitatibus ad eum legati veniunt, qui polliceantur obsides dare, atque imperio populi Romani obtemperare. Quibus auditis, liberaliter pollicitus, hortatusque ut in eâ sententiâ permanerent, eos domum remisit. Et cum his unà Comium, quem ipse, Atrebatibus[3] superatis, regem ibi constituerat, cujus et virtutem, et consilium probabat, et quem sibi fidelem arbitrabatur, cujusque auctoritas in his regionibus magna habebatur, mittit. Huic imperat, quas possit, adeat civitates horteturque, ut populi Rom. fidem sequantur;

---

1 *Morinos.* The inhabitants of the Boulonais.
2 *Veneticum.* Venetica, or Vannes, in France.
3 *Atrebatibus.* The people of Artois in France.

seque celeriter eò venturum nunciet. Volusenus, perspectis regionibus, quantùm ei facultatis dari potuit, qui navi egredi, ac se barbaris committere non audèret, v die ad Cæsarem revertitur : quæque ibi perspexisset, renunciat. Dùm in his locis Cæsar navium parandarum causâ moratur, ex magnâ parte Morinorum ad eum legati venerunt, qui se de superioris temporis consilio excusârent ; quòd homines barbari, et nostræ consuetudinis imperiti, bellum populo Rom. fecissent, seque ea quæ imperasset, facturos pollicerentur. Hoc sibi satis opportunè Cæsar accidisse arbitratus, quòd neque post tergum hostem relinquere volebat ; neque belli gerendi, propter anni temptus, facultatem habebat ; neque has tantularum rerum occupationes sibi Britanniæ anteponendas judicabat ; magnum his numerum obsidum imperat. Quibus adductis, eos in fidem recepit, navibus circiter LXXX onerariis coactis, contractisque, quod satis esse ad duas legiones transportandas existimabat ; quidquid prætereà navium longarum habebat, quæstori, legatis, præfectisque distribuit. Hùc accedebant XVIII onerariæ naves, quæ ex eo loco millibus passuum VIII vento tenebantur, quominùs in eumdem portum pervenire possent. Has equitibus distribuit : reliquum exercitum Q. Titurio Sabino, et L. Arunculeio

Cottæ, legatis, in Menapios,[1] atque in eos pagos Morinorum, ab quibus ad eum legati non venerant, deducendum dedit: P. Sulpicium Rufum legatum cum eo præsidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere jussit. His constitutis rebus; nactus idoneam ad navigandum tempestatem, tertiâ fere vigiliâ solvit; equitesque in ulteriorem portum progredi, et naves conscendere, ac se sequi jussit: ab quibus quùm paulò tardiùs esset administratum, ipse horâ circiter diei IV, cum primis navibus Britanniam attigit, atque in omnibus collibus expositas hostium copias armatas conspexit. Cujus loci hæc erat natura: adeò montibus angustis mare continebatur, ut ex locis superioribus in littus tellum adjici posset. Hunc ad egrediendum nequaquàm idoneum arbitratus locum, dùm reliquæ naves eò convenirent, ad horam IX in anchoris exspectavit. Interìm legatis, tribunisque militum convocatis, et quæ ex Voluseno cognovisset, et quæ fieri vellet, ostendit: monuitque, ut rei militaris ratio, maximè ut res maritimæ postularent, (ut quæ celerem, atque instabilem motum haberent) ad nutum et ad tempus, omnes res ab iis administrarentur. His dimissis, et ventum, et æstum uno tempore nactus secundum, dato signo, et sublatis anchoris, circiter millia passuum VIII, ab eo loco

---

[1] *Menapios*. Inhabitants of Gueldres.

progressus, aperto ac plano littore naves constituit. At barbari, consilio Romanorum cognito, præmisso equitatu, et essedariis, quo plerùmque genere in pæliis uti consuêrunt, reliquis copiis subsecuti, nostros navibus egredi prohibebant. Erat ob has causas summa difficultas, quòd naves propter magnitudinem nisi in alto constitui non poterant. Militibus autem, ignotis locis, impeditis manibus, magno et gravi onere armorum pressis, simul et navibus desiliendum, et fluctibus consistendum, et cum hostibus erat pugnandum; quum illi aut ex arido, aut paululùm in aquam progressi, omnibus membris expediti, notissimis locis, audacter tela conjicerent, et equos insuefactos incitarent. Quibus rebus nostri perterriti, atque hujus omninò generis pugnæ imperiti, non omnes eâdem alacritate, ac studio, quo in pedestribus uti præliis consueverant, utebantur. Quod ubi Cæsar animadvertit, naves longas, quarum et species erat barbaris inusitatior, et motus ad usum expeditior, paululùm removeri ab onerariis navibus, et remis incitari, et ad latus apertum hostium constitui, atque indè fundis, tormentis, sagittis hostes propelli, ac submoveri jussit: quæ res magno usui nostris fuit. Nam et navium figurâ, et remorum motu, et inusitato genere tormentorum permoti barbari constiterunt; ac paulùm modò pedem retulerunt. At nostris militibus cunc-

tantibus, maximè propter altitudinem maris, qui x legionis aquilam ferebat, contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret: Desilite, inquit, milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere. Ego certè meum Reipub. atque Imperatori officium præstitero. Hoc quùm magnâ voce dixisset, se ex navi projecit, atque in hostes aquilam ferre cœpit. Tùm nostri cohortati inter se, ne tantum dedecus admitterent, universi ex navi desilierunt; hos item alii ex proximis navibus quùm conspexissent, subsecuti, hostibus appropinquârunt. Pugnatum est ab utrisque acriter. Nostri tamen, quòd nequè ordines servare, nequè firmiter insistere, nequè signa subsequi poterant, atquè alius aliâ ex navi quibuscumque signis occurrerat, se aggregabat, magnoperè perturbabantur. Hostes vero, notis omnibus vadis, ubi ex littore aliquos singulares ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis, impeditos adoriebantur. Plures paucos circumsistebant; alii ab latere aperto, in universos tela conjiciebant. Quod quùm animadvertisset Cæsar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri jussit: et, quos laborantes conspexerat, iis subsidia summittebat. Nostri, simul atque in arido constiterunt, suis omnibus consecutis, in hostes impetum fecerunt, atque eos in fugam dederunt; nequè longiùs prosequi potuerunt, quòd equites cursum tenere, atque insulam

capere non potuerant. Hoc unum ad pristinam fortunam Cæsari defuit.

Hostes prælio superati, simul atque se ex fugâ receperunt, statim ad Cæsarem legatos de pace miserunt: obsides daturos, quæque imperasset, sese facturos, polliciti sunt. Unà cum his legatis Comius Atrebas venit, quem suprà demonstraveram à Cæsare in Britanniam præmissum. Hunc illi è navi egressum, quùm ad eos Imperatoris mandata perferret, comprehenderant atque in vincula conjecerant. Tunc, facto prælio, remiserunt; et in petendâ pace ejus rei culpam in multitudinem contulerunt, et propter imprudentiam, ut ignosceretur petiverunt. Cæsar questus quòd, quùm ultrò in continentem legatis missis pacem a se petissent, bellum sine causâ intulissent, ignoscere imprudentiæ dixit; obsidesque imperavit: quorum illi partem statim dederunt, partem ex longinquioribus locis accersitam paucis diebus sese daturos dixerunt. Intereà suos remigrare in agros jusserunt; principesque undiquè convenêre, ut se, civitatesque suas Cæsari commendarent. His rebus pace firmatâ, post diem IV, quàm est in Britanniam ventum, naves XVIII de quibus suprà demonstratum est, quæ equites sustulerant, ex superiore portu leni vento solverunt. Quæ quùm appropinquârent Britanniæ, et ex castris viderentur, tanta tempestas subitò coorta est, ut nulla earum cursum tenere posset:

sed aliæ eòdem, undè erant profectæ, referrentur ; aliæ ad inferiorem partem insulæ, quæ est propiùs solis occasum, magno suî cum periculo dejicerentur. Quæ tamen, anchoris jactis, cum fluctibus complerentur, necessariò adversâ nocte in altum provectæ, continentem petiverunt. Eâdem nocte accidit, ut esset luna plena, quæ dies maritimos æstus maximos in Oceano efficere consuevit : nostrisque id erat incognitum. In uno tempore et longas naves, quibus Cæsar exercitum transportandum curaverat, quasque in aridum subduxerat, æstus complebat : et onerarias, quæ ad anchoras erant deligatæ, tempestas afflictabat. Nequè ulla nostris facultas aut administrandi aut auxiliandi dabatur. Compluribus navibus fractis, reliquæ quùm essent, funibus, anchoris, reliquisque armamentis amissis, ad navigandum inutiles, magna, id quod necesse erat accidere, totius exercitûs perturbatio facta est. Nequè enim naves erant aliæ, quibus reportari possent ; et omnia deerant, quæ ad reficiendas eas usui sunt ; et quòd omnibus constabat hiemare in Galliâ oportere, frumentum his in locis in hiemem provisum non erat. Quibus rebus cognitis, principes Britanniæ, qui post prælium ad ea, quæ jusserat Cæsar, facienda convenerant, inter se collocuti, cùm equites, et naves, et frumentum Romanis deesse intelligerent ; et paucitatem militum ex castrorum exiguitate cognoscerent ; quæ hòc erant etiam angustiora, quòd sine impedimentis Cæsar

legiones transportaverat : optimum factu esse duxerunt, rebellione factâ, frumento, commeatuque nostros prohibere, et rem in hiemem producere ; quòd, his superatis, aut reditu interclusis, neminem posteà belli inferendi causâ in Britanniam transiturum confidebant. Itaque, rursùs conjuratione factâ, paulatìm ex castris discedere ; ac suos clàm ex agris, deducere cœperunt. At Cæsar, etsi nondùm eorum consilia cognoverat, tamen et ex eventu navium suarum, et ex eo, quòd obsides dare intermiserant, fore id, quod accidit, suspicabatur. Itaque ad omnes casus subsidia comparabat. Nam et frumentum ex agris in castra quotidiè conferebat; et quæ gravissimè afflictæ erant naves earum materiâ atque ære ad reliquas reficiendas utebatur; et, quæ ad eas res erant usui, ex continenti comportari jubebat. Itaque quùm id summo studio à militibus administraretur, XII navibus amissis, reliquis ut navigari commodè posset, efficit. Dùm ea geruntur, legione, ex consuetudine, unâ frumentatum missâ, quæ appellabatur VII, neque ullâ ad id tempus belli suspicione interpositâ, quùm pars hominum in agris remaneret ; pars etiam in castra ventitaret, ii, qui pro portis castrorum in statione erant, Cæsari renunciaverunt ; pulverem majorem, quàm consuetudo ferret, in eâ parte videri, quam in partem legio iter fecisset. Cæsar, id quod erat, suspìcatus aliquid novi à barbaris initum

consilii, cohortes, quæ in stationibus erant, secum in eam partem proficisci, duas in stationem succedere, reliquas armari, et confestìm se subsequi, jussit. Quùm paulò longiùs à castris processisset, suos ab hostibus premi, atque ægrè sustinere, et confertâ legione ex omnibus partibus tela conjici animadvertit. Nam quòd, omni ex reliquis partibus demesso frumento, una pars erat reliqua, suspicati hostes hùc nostros esse venturos, noctu in silvis delituerant. Tùm dispersos, depositis armis, in metendo occupatos subitò adorti, paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbaverunt: simul equitatu, atque essedis circumdederant. Genus hoc est ex essedis pugnæ: primò per omnes partes perequitant, et tela conjiciunt, atque ipso terrore equorum, et strepitu rotarum, ordines plerumque perturbant: et quùm se inter equitum turmas insinuavêre, ex essedis desiliunt, et pedibus prælìantur. Aurigæ interìm paulùm à prælio excedunt, atque ità se collocant, ut si illi à multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. Ità mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in prælìis præstant: ac tantùm usu quotidiano, et exercitatione efficiunt, ut in declivi, ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, et brevi moderari, ac flectere, et per temonem percurrere, et in jugo insistere, et indè se in currus citissimè recipere consueverint. Quibus rebus, perturbatis nos-

tris novitate pugnæ, tempore opportunissimo Cæsar auxilium tulit. Namque ejus adventu hostes constiterunt, nostri ex timore se receperunt. Quo facto, ad lacessendum hostem et committendum prælium, alienum esse tempus arbitratus, suo se loco continuit; et, brevi tempore intermisso, in castra legiones reduxit. Dùm hæc geruntur, nostris omnibus occupatis, qui erant in agris, reliqui discesserunt. Secutæ sunt continuos dies complures tempestates, quæ et nostros in castris continerent, et hostem à pugnâ prohiberent.

Interìm barbari nuncios in omnes partes dimiserunt, paucitatemque nostrorum militum suis prædicaverunt: et, quanta prædæ faciendæ, atque in perpetuum sui liberandi facultas daretur, si Romanos castris expulissent, demonstraverunt. His rebus celeriter magnâ multitudine peditatûs equitatûsque coactâ, ad castra venerunt. Cæsar, etsi idem, quod superioribus diebus acciderat, fore videbat, ut, si essent hostes pulsi, celeritatè periculum effùgerent, tamen nactus equites circiter xxx quos Comius Atrebas, de quo antè dictum est, secum transportaverat, legiones in acie pro castris constituit. Commisso prælio, diutiùs nostrorum militum impetum hostes ferre non potuerunt, ac terga verterunt: quos tanto spatio secuti, quantùm cursu et viribus efficere potuerunt, complures ex iis occiderunt; deinde omnibus longè latèque ædificiis incensis,

se in castra receperunt. Eodem die legati ab hostibus missi ad Cæsarem de pace venerunt. His Cæsar numerum obsidum, quem anteà imperaverat, duplicavit; eosque in continentem adduci jussit; quòd propinquâ die æquinoctii, infirmis navibus hiemi navigationem subjiciendam non existimabat. Ipse idoneam tempestatem nactus, paulò post mediam noctem naves solvit: quæ omnes incolumes ad continentem pervenerunt. Ex his onerariæ II eosdem portus, quos reliquæ, capere non potuerunt, sed paulò infrà delatæ sunt. His rebus gestis ex litteris Cæsaris dierum XX supplicatio à senatu decreta est.

NARRATION LVIII.

Description of England.

(Rom. Hist. Cæsar de Bello Gallico.)

Cæsar being compelled to return speedily to Gaul, gets but a slight knowledge of Great-Britain. The next year, however, he makes an almost entire conquest thereof. The time and progress of its civilization is most interestingly portrayed by Cæsar.

Britanniæ pars interior ab iis incolitur, quos natos in insulâ ipsâ memoriæ proditum

dicunt. Maritima pars ab iis, qui, prædæ ac belli inferendi causâ, ex Belgio transierant, qui omnes ferè iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eò pervenerunt, et bello illato ibi remanserunt, atque agros colere cœperunt. Hominum infinita multitudo, creberrimaque ædificia ferè Gallicis consimilia: pecoris magnus numerus. Utuntur, aut ære, aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Nascitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus, in maritimis ferrum: sed ejus exigua est copia. Ære utuntur importato. Materia cujusque generis, ut in Galliâ, est, præter fagum atque abietem. Leporem et gallinam, et anserem gustare, fas non putant. Hæc tamen alunt, animi voluptatisque causâ. Loca sunt temperatiora, quàm in Galliâ, remissioribus frigoribus. Insula naturâ triquetra, cujus unum latus est contrà Galliam: hujus lateris alter angulus, qui est ad Cantium, [1] quò ferè ex Galliâ naves appelluntur, ad orientem Solem; inferior ad Meridiem spectat. Hoc latus tenet circiter millia passuum D. Alterum vegit ad Hispaniam, atque occidentem Solem. Quâ ex parte est Hibernia,[2] dimidio minor, ut existimatur, quàm Britannia: sed pari spatio transmissus, atque ex Galliâ, est in Britanniam. In hoc

---

[1] *Cantium*—the county of Kent in the South part of England.

[2] *Hibernia* Ireland.

medio cursu est insula, quæ appellatur Mona.[1] Complures prætereà minores objectæ insulæ existimantur: de quibus insulis nonnulli scripserunt, dies continuos xxx sub brumâ esse noctem. Nos nihil de eo percunctationibus reperiebamus, nisi certis ex aquâ mensuris, breviores esse noctes, quàm in continente, videbamus. Hujus est longitudo lateris, ut fertillorum opinio, nec millium passuum. Tertium est contrà Septentrionem, cui parti nulla est objecta terra: sed ejus angulus lateris maximè ad Germaniam spectat. Huic millia pasuum DCCC in longitudinem esse existimatur. Ità omnis insula est in circuitu vicies centena millia passuum Ex his omnibus longè sunt humanissimi, qui Cantium incolunt: quæ regio est maritima omnis, nequè multùm à Gallicâ differunt consuetudine. Interiores plerique frumenta non serunt: sed lacte et carne vivunt; pellibusque sunt vestiti: omnes verò se Britanni vitro inficiunt, quòd cærulæum efficit colorem. Atque hòc horribiliore sunt in pugnâ adspectu: capilloque sunt promisso; atque omni parte corporis rasâ, præter caput et labrum superius. Uxores habent deni duodenique inter se communes, et maximè fratres cum fratribus, et parentes cum liberis. Sed qui sunt ex his

[1] *Mona*—the Isle of Man, between England and Ireland.

nati, eorum habentur liberi, à quibus primùm virgines quæque ductæ sunt. Equites hostium essedariique acriter prælio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt; ità tamen, ut nostri omnibus partibus superiores fuerint, atque eos in silvas collesque compulerint.

NARRATION LIX.

Death of Cæsar, A. C. 43.

(Rom. Hist.—Suetonius.)

CÆSAR, the vanquisher of the Gauls, no longer conceals his designs to assume the supreme power. The Senate have only Pompey to oppose to him. The battle of Pharsalia decides this great dispute. Pompey being vanquished, escapes to Egypt, where he is assassinated. Asia, Africa and Spain become successively the theatres of Cæsar's victories. When with difficulty he had obtained the title of Perpetual Dictator, he is killed in the midst of the Senate.

CONSPIRATUM est in Cæsarem à LX amplius, C. Cassio, Marcoque et D. Bruto principibus conspirationis. Qui primùm cunctati, utrùmne illum in campo per comitia tribus ad suffragia vocantem partibus divisis à ponte dejicerent, atque exceptum trucidarent: an in

Sacrâ viâ, vel in aditu theatri adorirentur: postquàm senatus Idibus Martiis in Pompeii curiam edictus est, facilè tempus et locum prætulerunt.

Sed Cæsari futura cædes evidentibus prodigiis denuntiata est. Eâ nocte cui illuxit dies cædis, et ipse sibi visus est per quietem interdùm suprâ nubes volitare, aliàs cum Jove dextram jungere. Et Calpurnia uxor imaginata est, collabi fastigium domûs, maritumque in gremio suo confodi: ac subitò cubiculi fores spontè patuerunt. Ob hæc simul et ob infirmam valetudinem diù cunctatus, an se contineret, et quæ apud senatum proposuerat, agere differret: tandem D. Bruto adhortante, ne frequentes ac jam dudùm opperientes destitueret, quintâ ferè horâ progressus est: libellumque insidiarum indicem, ab obvio quodam porrectum, libellis cæteris quos sinistrâ manu tenebat, quasi mox lecturus, commiscuit. Dein pluribus hostiis cæsis, cum litare non posset, introiit curiam, spretâ religione: Spurinamque irridens, et ut falsum arguens, quòd sine ullâ noxâ idus Martiæ adessent: quamquàm is venisse quidem eas diceret, sed non præteriisse.

Assidentem conspicati, specie officii circumsteterunt: illicòque Cimber Tullius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus, propiùs accessit: renuentique et gestu in aliud tempus differenti ab utroque humero

togam apprehendit: deindè clamantem, *ista quidem vis est*, alter Cassius adversum vulnerat, paulùm infrà jugulum. Cæsar Cassii brachium arreptum graphio trajecit: conatusque prosilire, alio vulnere tardatus est. Utque animadvertit undiquè se strictis pugionibus peti, togâ caput obvolvit: simul sinistrâ manu sinum ad ima crura deduxit, quò honestiùs caderet, etiam inferiore corporis parte velatâ. Atque ita tribus et viginti plagis confossus est, uno, modò ad primum ictum, gemitu sine voce edito. Esti tradiderunt quidam, M. Bruto irruenti dixisse, Καὶ σὺ τέκνον? id est, et tu fili. Exanimis, diffugientibus cunctis, aliquandiù jacuit, donec lecticæ impositum, dependente brachio, tres servuli domum retulerunt.

NARRATION LX.

Augustus made Emperor—year of Rome 722, A. C. 31. Tiberius succeeds him A. D. 14. Arrival of Aggrippina at Brindici.

(Rom. Hist. Tàcitus, Annal. lib 3)

After the death of Cæsar, Rome witnesses, under the triumvirate of Octavius, Anthony, and

---

[1] *Brindici*—Brundusium, a maritime city of Italy, in the kingdom of Naples.

Lepidus, all the horrors of the proscriptions of Sylla. But these three tyrants became divided: and Anthony, being vanquished in the battle of Actium, puts an end to his life; Lepidus becomes an object of contempt; whilst Octavianus, nephew to, and son by adoption of, Julius Cæsar, remains sole master of the empire.

Octavianus, as emperor, causes them to forget the cruelties of the triumvirate. He establishes order; protects letters and the arts, and shows himself the constant friend of peace.

His reign, which was both long and glorious, forms one of the first epochs of the history of the world. The greatness of his character has given him the name of *Augustus*. He was succeeded by Tiberius.

Augustus, by his policy and wisdom of government, had insensibly accustomed the people to subordination. But, under Tiberius and his successors, the chief authority degenerates into a hideous despotism.

As soon as the armies hear of the death of Augustus, they show a seditious spirit. The army of Parmonia gives the first signal of revolt—it is suppressed by Drusus. Germanicus suppresses the army of Germany.

Tiberius, becoming jealous of Germanicus, because of the love borne him by his soldiers, transfers him to a command in Syria—He is there poisoned by his lieutenant Pison. All the people mourn the loss of Germanicus—more particularly when his wife Agrippina arrives at Brindici, holding in her hands an urn, containing the ashes of her spouse.

Nihil intermissâ navigatione Hiberni maris Agrippina Corcyram[1] insulam advehitur, littora Calabriæ[2] contrà sitam. Illìc paucos dies componendo animo insumit, violenta luctu, et nescia tolerandi. Interìm adventu ejus audito, intimus quisque amicorum, et plerique militares, ut qui que sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis è municipiis, pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium, quod naviganti celerrimum ñdissimumque adpulsu erat. Atquè ubi primùm ex alto visa classis, complentur non modò portus et proxima maris, sed mœnia ac tecta, quàque longissimè prospectari poterat, mærentium turbâ, ac rogitantium inter se, silentio ne an voce aliquâ egredientem exciperent. Nequè satis constabat quid pro tempore foret, cùm classis paulatìm successit, non alacri ut adsolet remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis. Postquàm duobus cum liberis feralem urnam tenens egressa navi, defixit oculos, idem omnium gemitus, nequè discerneres, proximos, alienos, virorum, feminarumve planctus, nisi quod comitatum Agrippinæ longo mærore fessum, obvii et recentes in dolore anteibant.

---

[1] *Corcyram*—Corfu, an isle of the gulf of Venice.

[2] *Calabria*—a province of Italy, divided into upper and lower Calabria.

Miserat duas prætorias cohortes Cæsar, addito ut magistratus Calabriæ, Apulique, et Campani, suprema ergà memoriam filii sui munera fungerentur. Igitur tribunorum, centurionumque humeris cineres portabantur, præcedebant incomta signa, versi fasces: atquè ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci vestem, odores, aliaque funerum solennia cremabant. Etiam quorum diversa oppida, tamen obvii, et victimas atquè aras Diis Manibus statuentes, lacrymis, et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Tarracinam[1] progessus est, cum Claudio fratre, liberisque Germanici, qui in urbe fuerant. Consules, M. Valerius et M. Aurelius, jam enim magistratum acceperant, et senatus, ac magna pars populi viam complevêre, disjecti, et ut cuique libitum, flentes: aberat quippè adulatio, gnaris omnibus lætam Tiberio Germanici mortem malè dissimulari. Tiberius atquè Augusta publico abstinuêre, inferius majestate suâ rati si palàm lamentarentur an, ne, omnium oculis vultum eorum scrutantibus, falsi intelligerentur. Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diurnâ actorum scripturâ, reperio ullo insigni officio functam, cùm super Aggripinam, et Drusum, et Claudium, ceteri quoquè consan-

[1] *Tarraciham*—a city of Italy, in the Campania of Rome, upon the frontiers of Naples.

guinei nominatim perscripti sint: seu valetudine præpediebatur, seu victus luctu animus, magnitudinem mali perferre visu non toleravit. Faciliùs crediderim, Tiberio et Augustâ, qui domo non excedebant, cohibitam: ut par mœror, et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur. Dies quo relinquiæ tumulo Augusti inferebantur, modò per silentium vastus, modò ploratibus inquies, plena urbis itinera, conlucentes per campum Martis faces, illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus, concidisse Remp. nihil spei reliquum clamitabant, promtiùs apertiùsque quàm ut meminisse imperitantium crederes. Nihil tamen Tiberium magis penetravit, quàm studia hominum accensa in Agrippinam, cùm decus patriæ, solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen appellarent, versique ad cœlum ac deos integram illi sobolem, ac superstitem iniquorum precarentur. Fuêre qui publici funeris pompam requirerent, comparentque quæ in Drusum patrem Germanici honora et magnifica Augustus fecisset: ipsum quippe asperrimo hiemis, Ticinum usque progressum, neque abscedentem à corpore simul urbem intravisse: circumfusas lecto Claudiorum Juliorumque imagines, defletum in foro, laudatum pro rostris, cuncta à majoribus reperta, aut quæ posteri invenerint cumulata. At Germanico ne solitos quidem

et cuicumque nobili debitos honores contigisse. Sanè corpus ob longinquitatem itinerum externis terris quoquo modo crematum, sed tantò plura decora mox tribui par fuisse, quantò prima fors negavisset. Non fratrem nisi unius dici viâ, non patruum saltem portâ tenùs obvium. Ubi illa veterum instituta? præpositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, et laudationes et lacrymas, vel doloris imitamenta. Gnarum id Tiberio fuit, utque premeret vulgi sermones, monuit edicto, multos illustrium Romanorum ob Remp. obiisse, neminem tam flagranti desiderio celebratum. Idque et sibi et cunctis egregium, si modus adjiceretur. Non enim eadem decora principibus viris, et imperatori populo quæ modicis domibus, aut civitatibus: convenisse recenti dolori luctum, et ex mœrore solatia: sed referendum jam animum ad firmitudinem, ut quondàm divus Julius amissâ unicâ filiâ, ut divus Augustus ereptis nepotibus: abstruserint tristitiam. Nil opus vetustioribus exemplis: quotiès populus Romanus clades exercituum, interitum ducum, funditùs amissas nobiles familias constanter tulerit? Principes mortales, Remp. æternam esse. Proin repeterent solennia: et quia ludorum Megalensium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent.

NARRATION LXI.

Death of Tiberius.

(Rom. Hist. Tacitus, Book 6.)

The reign of Tiberius, after the death of Germanicus, is a continued scene of odious accusations, or sanguinary executions. Whilst in his retirement in the island of Capri,[1] he becomes, through the agency of Sejanus, accessary to the sacrifice of all his relations. Sejanus is himself sacrificed in his turn.

Jam Tiberium corpus, jam vires, nondùm dissimulatio deserebat. Idem animi rigor: sermone ac vultu intentus, quæsitâ interdùm comitate, quamvis manifestam defectionem tegebat: mutatisque sæpiùs locis, tandem apud promontorium Miseni consedit in villâ, cui L. Lucullus quondàm dominus. Illìc cum appropinquare supremis tali modo compertum. Erat medicus arte insignis nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis solitus, consilii tamen copiam præbere. Is velut propria ad negotia digrediens, et per speciem officii manum complexus, pulsum venarum

[1] *Capri* is an isle in the Sea of Tuscany, opposite to Pouzzoli.

attigit : nequè fefellit. Nam Tiberius incertum an offensus, tantòque magis iram premens, instaurari epulas jubet, discumbitque ultrà solitum, quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen labi spiritum, nec ultrà biduum duraturum Macroni firmavit. Indè cuncta colloquiis inter præsentes, nuntiis apud legatos et exercitus festinabantur. Decimo septimo kalendas Aprilis, interclusâ animâ, creditus est mortalitatem explevisse. Et multo gratantium concursu, ad capienda imperii primordia C. Cæsar egrediebatur, cùm repentè adfertur redire Tiberio vocem ac visus, vocarique qui recreandæ defectioni cibum adferrent. Pavor hìnc in omnes, et ceteri passìm dispergi, se quisque mœstum aut nescium fingere. Cæsar in silentium fixus, à summâ spe, novissima exspectabat. Macro intrepidus, opprimi senem injectu multæ vestis jubet, discedique ab limine. Sic Tiberius finivit, octavo et septuagesimo ætatis anno. Pater ei Nero, et utrinque origo gentis Claudiæ, quamquàm mater in Liviam et mox Juliam familiam adoptionibus transierit. Casus primâ ab infantiâ ancipites. Nam proscriptum patrem exsul secutus, ubi domum Augusti privignus introiit, multis emulis conflictatus est, dùm Marcellus et Agrippa, mox Caius Luciusque Cæsares, viguêre. Etiam frater ejus Drusus proseperiore civium amore erat. Sed maximè in lubrico egit, acceptâ in matrimonium Juliâ,

impudicitiam uxoris tolerans aut declinans. Dein Rhodo regressus, vacuos principis penates duocedim annis, mox rei Romanæ arbitrium tribus fermè et viginti obtinuit. Morum quoque tempora illi diversa: egregium vitâ famâque, quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuêre. Idem inter bona malaque mixtus incolumi matre: intestabilis sævitiâ, sed obtectis libidinibus, dùm Sejanum dilexit, timuitve. Postremò in scelera simul ac dedecora prorupit, postquàm remoto pudore et metu, suo tantum ingenio utebatur.

NARRATION LXII.

Death of Agrippina.

(Rom. Hist. Tacitus, Book 14.)

Rome, though she changed her masters, did not change her tyrants. Her Caligula cannot be remembered without horror. His terrible reign was but for three years. He was assassinated at the age of 29.

His uncle Claudius was a feeble prince. He is deservedly despised for having adopted young Nero in preference to his own son Britannicus.

Nero in the commencement of his reign dissembled his vices. His name is made odious by the poisoning of Britannicus, and the putting his own mother to death.

Nero, ubicunque mater haberetur, prægravem natus, interficere constituit, hactenùs consultans, veneno, an ferro, vel quâ aliâ vi. Placuitque primò venenum. Sed inter epulas principis si daretur, referri ad casum non poterat, tali jam Britannici exitio. Et ministros tentare arduum videbatur mulieri, usu scelerum adversùs insidias intentæ. Atque ipsa præsumendo remedia munierat corpus. Ferrum et cædes quonam modo occultaretur nemo reperiebat, et ne quis illi tanto facinori dilectus jussa sperneret, metuebat. Obtulit ingenium Anicetus libertus, classis apûd Misenum[1] præfectus, et pueritiæ Neronis educator, ac mutuis odiis Agrippinæ invisus. Ergò navem posse componi docet, cujus pars ipso in mari per artem soluta effunderet ignaram. Nihil tam capax fortuitorum quàm mare, et si naufragio intercepta sit, quem adeò iniquum, ut sceleri assignet, quòd venti et fluctus deliquerint? Additurum principem defunctæ templum, et aras, et cetera ostentandæ pietatis. Placuit solertia, tempore etiam adjuta, quandò Quinquatruum festos dies apud Baias frequentabat. Illùc matrem elicit, ferendas parentum iracundias, et placandum animum dictitans, quò rumorem reconciliationis efficeret,

---

[1] *Misenum*. A small city in the kingdom of Naples, in the province of Labour. The ruins of the ancient city may still be seen.

acciperetque Agrippina, facili feminarum credulitate ad gaudia. Venientem dehinc, obvius in littora (nam Antio adventabat) excipit manu et complexu, ducitque Baulos: id villæ nomen est, quæ promontorium Misenum inter et Baianum lacum, flexo mari adluitur. Stabat inter alias navis ornatior, tanquàm id quoque honori matris daretur. Quippè sueverat triremi, et classiariorum remigio vehi. Ac tùm invitata ad epulas erat, ut occultando facinori nox adhiberetur. Satis constitit, extitisse proditorem, et Agrippinam, auditis insidiis, an crederet ambiguam, gestamine sellæ Baias pervectam. Ibi blandimentum sublevavit metum, comiter excepta, superque ipsum collocata. Nam pluribus sermonibus, modò familiaritate juvenili Nero, et rursùs adductus quasi seria consociaret, tracto in longum convictu, prosequitur abeuntem, arctiùs oculis et pectori hærens, sive explendâ simulatione, seu perituræ matris supremus adspectus, quamvis ferum animum retinebat. Noctem sideribus illustrem, et placido mari quietam, quasi convincendum ad scelus, dii præbuêre. Nec multùm erat progressa navis, duobus è numero familiarum Agrippinam comitantibus: ex quibus Crepereius Gallus haud procul gubernaculis adstabat, Acerronia, super pedes cubitantis reclinis, pœnitentiam filii, et recuperatam matris gratiam, per gaudium memorabat: cùm, dato signo, ruere tectum loci, multo plumbo grave;

pressusque Crepereius, et statìm exanimatus est. Agrippina et Acerronia eminentibus tecti parietibus ac fortè validioribus, quàm ut oneri cederent, protectæ sunt: nec dissolutio navigii sequebatur, turbatis omnibus et quòd plerique ignari etiam conscios impediebant. Visum dehinc remigibus, unum in latus inclinare, atque ità navem submergere. Sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus, et alii, contrà nitentes dedêre facultatem lenioris in mare jactûs. Verùm Acerronia imprudens, dùm se Agrippinam esse, et ut subveniretur matri principis, clamitat, contis et remis, et quæ sors obtulerat, navalibus telis conficitur. Agrippina silens, eòque minus agnita, unum tamen vulnus humero exceptit. Nando, deindè occursu lenunculorum, Lucrinum in lacum vecta, villæ suæ infertur. Illic reputans, ideò se fallacibus litteris accitam, et honore præcipuo habitam, quòdque littus juxtà non ventis acta, non saxis impulsa navis, summâ sui parte, veluti terrestre machinamentum concidisset; observans etiam Acerroniæ necem; simul suum vulnus aspiciens: solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur: misit libertum Agerinum, qui nuntiaret filio, benignitate deûm, et fortunâ ejus, evasisse gravem casum. Orare, ut quamvis periculo matris exterritus, visendi curam differret: sibi ad præsens quiete opus. Atque interìm, securitate simulatâ, medicamina vulneri, et fomenta

corpori adhibet. Testamentum Acerroniæ requiri bonaque obsignari jubet: id tantum non per simulationem. At Neroni, nuntios patrati facinoris opperienti, adfertur evasisse ictu levi sauciam, et hactenùs adito discrimine ne auctor dubitaretur. Tum pavore exanimis, et jam jamque adfore obtestans, vindictæ properam, sive servitia armaret, vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium, et vulnus, et interfectos amicos objiciendo: quod contrà subsidium sibi? nisi quid Burrhus et Seneca expergiscerentur: quos statìm acciverat, incertum an et antè ignaros. Igitur longum utriusque silentium ne irriti dissuaderent, et eò descensum credebant, ut nisi præveniretur Agripinna, pereundum Neroni esset. Post Seneca hactenùs promtior, respicere Burrhum, ac sciscitari, an militi imperanda cædes esset? Ille prætorianos toti Cæsarum domui obstrictos, et memores Germanici, nihil adversùs progeniem ejus atrox ausuros respondit: perpetraret Anicetus promissa. Qui nihil cunctatus, poscit summam sceleris. Ad illam vocem Nero, illo sibi die dari imperium, auctoremque tanti muneris libertum profitetur. Iret properè, duceretque promtissimos ad jussa. Ipse, audito venisse missu Agrippinæ nuntium Agerinum, scenam ultrò criminis parat: gladiumque dùm mandata perfert, abjicit inter pedes ejus: tum quasi deprehenso, vincla injici jubet: ut exitium principis molitam matrem, et pudore

deprehensi sceleris spontè mortem sumpsisse confingeret. Interìm vulgato Agrippinæ periculo, quasi casu evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad littus. Hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere: alii quantum corpus sinebat, vadere in mare, quidam manus protendere. Questibus, votis, clamore diversa rogitantium, aut incerta respondentium, omnis ora compleri: adfluere ingens multitudo cum luminibus, atque ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum, sese expedire, donec aspectu armati et minitantis agminis disjecti sunt. Anicetus villam statione circumdat, refractâque januâ, obvios servorum arripit, donec ad fores cubiculi veniret: cui pauci adstabant, ceteris terrore irrumpentium exterritis. Cubiculo modicum lumen inerat, et ancillarum una: magis ac magis anxiâ Agrippinâ, quòd nemo à filio, ac ne Agerinus quidem: aliam ferè littore faciem, nunc solitudinem ac repentinos strepitus, et extremi mali indicia. Abeunte dehìnc ancillâ, Tu quoque me deseris, prolocuta, respicit Anicetum trierarcho Herculeo et Oloarito centurione classiario, comitatum. Ac, si ad visendum venisset, refotam nuntiaret: sin facinus patraturus, nihil se de filio credere, non imperatum parricidium. Circumsistunt lectum percussores, et prior trierarchus fusti caput ejus afflixit. Nam in mortem centurioni ferrum distringenti, protendens uterum, ventrem feri, exclamavit: multisque vulneribus confecta est.

NARRATION LXIII.

Death of Nero. Year of Rome 821. *A. D.* 68.

(Rom. Hist. Suetonius.)

The life of Nero is only distinguished by his follies and his crimes. He sacrifices his brother and his mother; he repudiates the virtuous Octavia, to possess himself of Poppœa, the wife of Otho; in a fit of rage he destroys even her: he spares not the life of Seneca, his distinguished preceptor: he fires the city of Rome for his amusement. Such follies and such vices bring upon him the general execration and the revolt of his armies, who determine, in their turn, to destroy him.

Nero is the last of the family of Cæsar. It had been happy for the human race, had this name, once so illustrious, been terminated with Augustus.

Nuntiatâ, quodam die, exercituum defectione, litteras prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subvertit; duos scyphos gratissimi usûs, quos Homericos à cælaturâ carminum Homeri vocabat, solo illisit: ac sumpto à Locustâ veneno, et in auream pyxidem condito, transiit in hortos Servilianos. Ubi præmissis libertorum fidissimis Ostiam, ad classem præparandam, tribunos centurionesque prætorii de fugæ societate tentavit. Sed par-

tim tergiversantibus, partim apertè detrectantibus, uno verò etiam proclamante, *Usque adeone mori miserum est?* varia agitavit, Parthosne an Galbam supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque Rostris quantâ posset maximâ miseratione veniam præteritorum precaretur, ac, nî flexisset animos, vel Ægypti præfecturam concedi sibi oraret. Inventus est posteà in scrinio ejus hâc de re sermo formatus. Sed deterritum putant, ne priusquàm in forum perveniret, discerperetur. Sic cogitatione in posterum diem dilatâ, ad mediam ferè noctem excitatus, ut comperit stationem militum recessisse, prosiluit è lecto, misitque circùm amicos. Et quià nihil à quoquam renunciabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Verùm clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit: undè jam et custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amotâ et pyxide veneni. Ac statim Spicillum mirmillonem, vel quemlibet alium percussorem, cujus manu periret, requisivit; et nemine reperto, *Ergò ego*, inquit, *nec amicum habeo, nec inimicum?* procurritque quasi præcipitaturus se in Tiberim.

Sed revocato rursùs impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desideravit: et offerente Phaonte liberto suberbanum suum inter Salariam et Nomentanam viam circa quartum milliarium: ut erat nudo pede atque tunicatus, penulam obsoleti coloris superinduit; adopertoque capite, et antè fa-

ciem obtento sudario, equum inscendit, quatuor solùm comitantibus, inter quos et Sporus erat. Statìmque tremore terræ, et fulgure adverso pavefactus, audiit ex proximis castris clamorem militum, et sibi adversa, Galbæ prospera ominantium : etiam ex obviis viatoribus quemdam dicentem ; *Hi Neronem persequuntur :* alium sciscitantem, *Ecquid in urbe novi de Nerone ?* Equo autem odore abjecti in viâ cadaveris consternato, detectâ facie agnitus est à quodam missitio prætoriano, et salutatus. Ut ad diverticulum ventum est, dimissis equis inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam ægrè, nec nisi stratâ sub pedibus veste, ad adversum villæ parietem evasit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interìm in specum egestæ arenæ concederet, negavit *se vivum sub terram iturum* : ac parumper commoratus, dùm clandestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subjectâ lacunâ potaturus manù hausit : *et Hæc est*, inquit, *Neronis decocta.* Deindè divulsâ sentibus penulâ trajectos surculos rasit : atque ita quadrupes per angustias effossæ cavernæ receptus, in proximam cellam decubuit super lectum modicellâ culcitâ, vetere pallio strato instructum. Fameque interìm et siti interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantulum bibit.

Tunc unoquoque hìnc indé instante, ut quàm primùm se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coràm fieri imperavit, di-

mensus ad corporis sui modulum: componique simul, si qua invenirentur, frusta marmoris, et aquam simul ac ligna conferri curando mox cadaveri, flens ad singula, atque identidem dictitans, *Qualis artifiex pereo!* Inter moras, perlatos à cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque *se hostem à senatu judicatum, et quæri, ut puniatur, more majorum.* Interrogavitque quale id genus esset pœnæ: et cùm comperisset nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit: tentatâque utriusque acie, rursùs condidit, caussatus *nondùm adesse fatalem horam.* Ac modò Sporum hortabatur, ut lamentari ac plangere inciperet: modò orabat, ut se aliquis ad mortem capessendam exemplo juvaret: interdùm segnitiem suam increpabat. Jamque equites appropinquabant, quibus præceptum erat, ut vivum eum attraherent. Quod ut sensit, ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito à libellis. Semianimisque adhuc interrumpenti centurioni, et, penulâ ad vulnus appositâ, in auxilium se venisse simulanti, non aliud respondit, quàm *Serò; et Hæc est fides?* Atque in eâ voce defecit, exstantibus rigentibusque oculis usquè ad horrorem formidinemque visentium. Obiit secundo et trigesimo ætatis anno; die quo quondam Octaviam interemerat. Tantumque gaudium publicè præbuit, ut plebs pileata totâ urbe discurreret.

FINIS.

CONTENTS.

		page.
Narration	1. Death of Sardanapalus	9
	2. Death of Cyrus	11
	3. Consecration of Zopyrus	14
	4. Manners of the Scythians	16
	5. Battle of Marathon	19
	6. Battle of Thermopylæ	21
	7. Flight of Xerxes	23
	8. Lycurgus	28
	9. Taking of Athens by Lysander	31
	10. Pelopidas delivers his country	34
	11. Death of Epaminondas	36
	12. Philip and Alexander	39
	13. Alexander falls sick at Tarsus	41
	14. Magnificent march of Darius	48
	15. Battle of Issus	51
	16. Noble conduct of Alexander towards the princesses his prisoners	56
	17. The siege of Tyre	59
	18. Triumphant entry of Alexander into Babylon	73
	19. Murder of Clytus	77
	20. Magnanimity of Porus	84
	21. Voyage upon the Indus	87
	22. Death of Alexander	91
	The Conclusion	98

Narrations from Roman History.

Narration	1. The rape of the Sabine Virgins	99
	2. This act the signal for a war	102
	3. The battle of the Horatii and the Curiatii	104
	4. Horatius kills his sister	107
	5. Ruin of Alba	110
	6. Death of Lucretia	111
	7. Conspiracy detected & punished	117

page.

Narration 8. Battle of Brutus and Aruns 120
9. Horatius Cocles 124
10. Mucius Scævola 126
11. Revolt of the people 129
12. Emigration to Mons Sacer 131
13. Coriolanus 133
14. Quintius Cincinnatus 137
15. Appius enamoured of Virginia 143
16. Virginia killed by her father 146
17. Decemvirs resign 149
18. Capture of Veii 158
19. Capture of Rome by the Gauls 161
20. Siege of the Capitol 168
21. Punishment of Marcus Manlius 174
22. Devoted act of young T. Manlius 177
23. Singular combat of T. Manlius 179
24. T. Manlius condemns his son to death 182
25. Decius devotes his life 186
26. The Roman army passes under the yoke at Caudinæ Furculæ 189
27. War of Pyrrhus 200
28. The first punic war 205
29. Hannibal joins the Spanish army 207
30. Siege and capture of Saguntum 209
31. Passage of the Rhone 218
32. Passage of the Alps 224
33. Battle of Cannæ 232
34. Siege of Syracuse 239
35. Capture of Syracuse 242
36. The younger Scipio is named proconsul of Spain 248
37. Capture of Carthagena 252
38. The continence of Scipio 260
39. Arrival of Scipio in Africa 263
40. Generosity and greatness of soul of Scipio 265

page.

Narration 41. Departure of the Roman fleet for Africa 267
42. Hannibal returns to Africa 270
43. Battle of Zama 272
44. Scipio is accused by the tribunes 279
45. The end of Scipio Africanus 282
46. Death of Hannibal 285
47. Manners of the Romans after the destruction of Carthage 288
48. First exploits of Jugurtha 290
49. Jugurtha visits Rome 295
50. Nomination of Marius to the consulate 302
51. Jugurtha is delivered up to Sylla, by Bocchus 307
52. L. Catilina 317
53. The consequence of Cataline's conspiracy, 328
54. Manners of the Gauls 331
55. Vercingetorix 344
56. Cæsar invades Great-Britain 363
57. Description of England 374
58. Death of Cæsar 377
59. Augustus made emperor—Tiberius succeeds him—Arrival of Agrippina at Brindici 379
60. Death of Tiberius 385
61. Death of Agrippina 387
62. Death of Nero 393

RECOMMENDATIONS.

THE Publishers of the *new course* of Latin books, are happy at this time to possess an opportunity of adding so many respectable and flattering testimonials of the merits of their works. The books are also adopted in several seminaries to the southward, from which no particular recommendations have yet been received, or solicited.

Philadelphia, January, 1811.

I ESTEEM the "*Epitome Historiæ Sacræ*" and "*De Viris illustribus urbis Romæ*," &c. as excellent elementary books for acquiring a knowledge of the Latin language.

SAMUEL S. SMITH,
President of the College of New-Jersey.

Nassau-Hall, October 23*d*, 1810.

Trenton Academy, October 25, 1810.

IT is with real pleasure that I unite with others in recommending the three Latin books entitled, "*Epitome Historiæ Sacræ*," "*De Viris illustribus urbis Romæ*," and "*Narrationes Excerptæ*;" the two first I have introduced already, and shall introduce the third into the Seminary over which I preside, as soon as published.

ELIJAH SLACK, Principal.

New-York, November 2*d*, 1810.

THE books entitled, "*Epitome Historiæ Sacræ*," "*De Viris illustribus urbis Romæ*," &c. are, in my

opinion, books well calculated for boys who are commencing the study of the Latin language.

BENJAMIN MOORE, D. D.

Bishop of the Protestant Episcopal Church and President of Columbia College of New-York.

—

Columbia College, New-York, November 6, 1810.

I HAVE examined, as far as time and circumstances would allow, three books, lately published in Philadelphia for the use of schools, entitled, "*Epitome Historiæ Sacræ*," "*De Viris illustribus urbis Romæ*," and "*Narrationes Excerptæ*," and believe them to be well calculated for elementary books, in respect of matter, size and price, and that their adoption into schools will be found a general advantage.

P. WILSON,

Professor of Greek and Latin.

—

Long-Island, (*New-Town Academy*,) *November* 9*th*, 1810.

HAVING taught "*Epitome Historiæ Sacræ*," and "*De Viris illustribus urbis Romæ*" to many of my pupils, in France, where they are read in all the schools and universally esteemed, I am convinced of their superior worth, and glad they are published in this country.

Were I permitted to give my opinion of "*Narrationes Excerptæ*," from a hasty perusal, I would say, that it is the best book of the kind I have ever seen. It is with pleasure I have introduced these elementary works into my school.

VALENTINE DERRY.

It is a painful fact, that almost all the minor authors which are put into the hands of children to give them a knowledge of the Latin language, are either *simple* in the extreme, or *debasing* in their tendency to the better affections of the heart, and subversive of propriety of manners.

With a view to remedy the evils deplored, I have introduced into my Seminary, Mr. L'Homond's "*Epitome Historiæ Sacræ*," as every way calculated to instruct children in Latin, and at the same time to convey to their understanding useful and interesting truths. As a subsequent book I have introduced "*De Viris illustribus urbis Romæ*," which, in point of Latinity, style and authenticity, appears to my view superior to those Roman writers to whom it is now used as a substitute. "*Narrationes Excerptæ*," as far as my examination has extended, appears to merit much, and will have its place in the course of instruction.

GEORGE J. PATTEN,
President Literary School, Hartford, Connecticut.

December 3d, 1810.

New-York Grammar School,
3d November, 1810.

I highly approve of two elementary books entitled "*Epitome Historiæ Sacræ*" and "*De Viris illustribus urbis Romæ*," for the following reasons: The neatness and purity of the Latin, which by no means characterize the *Selectæ è Veteri*, now commonly used; the brief and simple structure of the sentences; the proper omission of appendices, vocabularies, translations, &c. which, instead of facilitating the *progress* of boys, only cherish a disposition for *idleness*.

The easy and apt succession of "*De Viris*," &c. to "*Epitome*," &c. and lastly, the *matter*, which is calculated, in the highest degree, to excite the interest and attention of boys.

Under these impressions, I have adopted them in my school.

JOHN BORLAND.

P. S. The same purity and neatness appear in "*Narrationes Excerptæ*," as in the former.

Bostpn, December 14th, 1810.

I HAVE examined, with considerable attention, the "*Epitome Historiæ Sacræ*" and "*De Viris illustribus urbis Romæ*," &c. and, by their intrinsic merit, am warranted to say, that, as elementary books, they are the best calculated to facilitate the acquisition of a knowledge of the Latin language of any extant.

Independent of the purity and simplicity of the Latin, an additional excellence arises from the very judicious selection of scriptural facts, composing the "Epitome Historiæ Sacræ," which cannot be too early impressed upon the minds of youth. The work is rendered still more valuable by the biographical sketches "De Viris illustribus," with which every pupil should be acquainted, previously to his commencing the higher classics.

Fully persuaded of the superior merit of these books, I have introduced them into my Seminary, considering them as a most excellent substitute for those books, (improperly called elementary,) which have been generally used in our schools, and which, for their numerous *improprieties*, ought never to be put into the hands of youth.

DANIEL STANIFORD,
Teacher of the Latin and Greek languages.

They are also recommended by all of the succeeding gentlemen, according to their several tastes and opinions. It is however sufficient to give barely a knowledge of their names—to wit:

J. H. Livingston, D. D. President of Queen's College, New-Jersey.

John Stanford, Teacher of the Latin and Greek languages, New-York.

George Ironside, Master of the Franklin Grammar School, New-York.

George Strebeck, Teacher of the Languages and Mathematics, New-York.

Edmund D. Barry, Principal of the New-York Episcopal Academy.

Asa Messer, D. D. President of Brown University, Providence, Rhode-Island.

William Harris, Rector of St. Marks, New-York.

Andrew Smith, Teacher of the Languages, Greenwich, New-York.

R. W. Thompson, Teacher of the Languages, &c. Erasmus Hall, Flatbush, New-York.

Peter Low, Principal of ditto.

William Scott, A. M. Teacher of the Languages, &c. New-York.

Lewis E. A. Eigenbrodt, Principal of Union Hall, Jamaica, Long-Island.

Joseph Nelson, Teacher of the Languages, New-York.

B. Leonard, Teacher of ditto, ditto.
John Coffin, Teacher of ditto, ditto.
Amzi Lewis, Teacher of ditto, ditto.

James L. Kingsley, Professor of Languages, Yale College, New-Haven.

Tillotson Bronson, D. D. Principal of the Episcopal Academy of Connecticut.

William Biglow, Master of the Public Latin Grammar School, Boston.

Eben. Pemberton, Teacher of the Latin and Greek Languages, Boston.

Asa Bullard,	ditto	ditto.
Daniel Adams,	ditto	ditto.
Willard Phillips,	ditto	ditto.

Luther Stearns, Instructor of a private Academy in Medford, (Massachusetts.)

Doctor *Hosmer*, of Medford, Mr. *Clapp*, of Boston, and Mr. *Chauncey A. Goodrich*, of New-Haven, have also introduced these books into their Seminaries.

3/21/26